(2

SILLABUS

SACRARUM FESTIVITATUM ET SANCTORUM

qui

COELESTI ANGELICO AURATO IMPERATORIO MILITARI ET RELIGIOSO
ORDINI CONSTANTINIANO

implicantur

AUCTORE ALBERTO PIERALLINI

presbytero, sacræ theologiæ doctore, scriptore theologo, et beneficiario ad Sancti Joannis leprosorum Panormi Regio Constantiniano etc.



BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

QUI SILLABUS ÆRE DUCIS CACCABI INQUISITORIS EDITUS

PANORMI
BARCELLONA EXCUSORE
MDCCCLV.

Digitized by Google



Constantinus Imperator primus christianus, qui vere pientissimus horrendam paganam ideam in toto orbe aeterna Verbi sapientia compescuit, atque in cujuscumque generis ordinum perfectam, miram, felicemque novitatem omne in aevum refecit, et constabilivit.

Digitized by Google

DEDICATIO

Ecclesiae ordinis Constantiniani Sanctissimae Trinitatis Mansionis, paucis de ejusdem ecclesiae historia, et jure interjectis.

I.

Operæprecium puto heic, ante omnia, aliqua, circa ecclesiarum dedicationem, ex pontificali romano delibare. « Quanto, ait idem pontificale, ecclesiis, et Deo dicatis locis habenda sit reverentia, canones, et leges, et universalia religiosus fidelium cultus declarat. Nullibi enim, quam in sacris basilicis, Domino offerri sacrificium debet. Præcipiente siquidem Domino, per Moysen tabernaculum cum mensa, atque altari, et æreis vasis, utensilibusque consecratum est ad divinum cultum explendum; ipsum quoque tabernaculum non solum sacrasse, sed oleo quoque linivisse legimus. In ipso autem tabernaculo non alii, quam sancti sacerdotes, et levitæ vestibus sacris ornati sacramenta tractabant, et pro populo oblationes offerebant. Postmodum tam reges Hebræorum suum templum, quam romani christiani principes basilicas a se constructas summa in veneratione habuerunt: immunesque ab omni vulgari strepitu, et negotio esse voluerunt, ut domus orationis ad aliud nullum commercium, atque usum accomodaretur . . Magna ergo veneratione sacratas Domino basilicas adeatis . . mundique facinoribus, Domino oblationes cordis vestri offeratis. De quibus basilicis hæc una est . . » Utique, inquam ego, hæc una est Panormi in Mansione Sanctissimæ Trinitatis prius, et dehinc Virginis Mariæ nomine a Theutenicis, qui eam ter centum circiter annos tenuerunt, nuncupata. Antequam de hac basilica, sive templo, ejusque dedicatione verba, ut par est, intexam, optume congruit enucleare, quid pro dedicatione intelligendum. Dedicatio in universum loquendo idem est, ac consecratio; quae, præmisso ab omnibus jejunio, fit ab episcopo multa prece, aquæ, et vini benedicti

Digitized by Google

aspersione, cinerum signatura, sacri thuris suffitu, chrismatis, et olei sancti unctione, ast hæc duo prosirema tantum in altaribus, crucibusque parietibus dedolatis, aliisque hujusmodi ritibus sane multis, complexis, venorandisque. Vorum quia isthæc consecratio Dei optumi maximi, beatissimæ Virginis Mariæ, uniusque præfiniti sancti in honorem efficitur, et quovis anno in perpetuum recolitur, ideo dedicatio dicitur; nam consecrstio hanc ipsam gignit. Quare dedicatio veluti offectus a consecratione promanat, licet in enunciatione idea illius ideam alterius exerit. Sacram istam actionem, qua lapideum templum, et sacrum, et domus vere orationis, et locus, ubi Domini majestas quodamodo allabitur, hæretque, hominibus ad beneficandum, efficitur; lippis, et tonsoribus notum a Sancto Silvestro papa, publico saltem, et solemni apparatu, in more nunc posito, exordium habuisse. « Ejusmodi, hic ex Judica nostro addendum, consecrationis, seu dedicationis, templi anniversariam diem quotannis officio, et missa solemniter celebratam, nemo equidem, qui vel veterrimæ illius disciplinæ ab apostolis ad successores traditæ, atque in utraque ecclesia orientali, et occidentali unanimiter susceptæ, celebrandi videlicet templorum dedicationes, vel illius canonis ex epistola prima S. Felicis papæ IV anno circiter DXXVII scripta, deprompti, et in decreto Gratiani can. *solemnitates de consecrat. distinct. 1.* relati, haud inscius est, inficiari poterit. » *(Brevis explan. ut sup. lib. IV. cap. VIII. pag. 517. 518.)*

II.

Hisce positis, templum Mansionis, at penicillo regalis visitatoris anno MDCCXLI celeberrimi De Ciocchis describere ad rem ego autumo.

« Matthæus de Ayello sive Agallo salernitanus cancellarius Guillelmi I. et II. Regum Siciliæ, circa annum MCL, peramplum templum extruxit, intra civitatis Panormi mœnia, prope Thermarum portam, ac magna dote donatum, SS. Trinitati nuncupavit. Ut autem divina officia decantarentur, et sacra ibi quotidie peragerentur, cœnobium pariter excitavit, et Cisterciensi ordini attribuit.. Porro templum, et cœnobium.. Henricus IV Imperator, et Rex Siciliæ circa annum MCLXXXXVI, ejectis Cisterciensibus, tamquam qui Tancredi partibus adhæserant, Sacro ordini militum theutonicorum attribuit, et hospitali S. Mariæ in urbe Hyerosolimitana fundato, univit. Cum autem Theutonicis in more esset, quod omnes ordinis ecclesiæ Virgini Mariæ Sacræ essent, et hospitis Mansionis nomine appellarentur, venit inde, quod hoc templum prius SS. Trinitati Sacrum, S. Mariæ nomen aliquando obtinuerit, fueritque monasterium Mansio appellatum. Cæterum Sacrae Mansionis templum, utique peramplum, navi, et duabus alis constat, quarum unaquæque quatuor fulcitur columnis marmoreis, habetque ti-

tulum quatuor innixum columnis, tresque absides, sive tribunas. In suprema parte testudinata, duodecim instructa columellis, ara maxima assurgit, habens ciborium ad SS. Eucaristiam asservandam, affabre elaboratum sub auro; cujus in posteriori parte chorus extat. Sunt et altaria novem, præter aram maximam, et conterminum sacellum cum altari Deiparæ Virginis gratiarum, cujus una porta aditum ad sacellum Sanctæ Virginis Rosarii aperit, alia ad Mansionis atrium patet, in quo et alia duo sacella visuntur.. Supra majorem templi partem tres portæ inspiciuntur, quarum una major inter duas minores assurgit cum porticu, quatuer innixa columnis; supra eam imminet templi frons picturis, et lapidais statuis, charitatis scilicet, et virtutis exornata; in alia templi facie alia est porta cum duabus ex utroque latere columnis marmoreis, supra quam duæ fidei, et spei icones ex albo marmore eminent.

Servitio chori, ecclesiæque sunt adscripti novem sacerdotes, quorum electio ad commendatarium pertinet: eorum autem unus appellatur prior, cui totius regimen incumbit; alius antiquior dicitur subprior, qui, in absentia prioris, ejus gerit vices; reliqui septem dicuntur capellani.. Sunt et alii duo ministri, diaconus scilicet, et subdiaconus,.. qui dominicis, et festis diebus ecclesiæ, et choro inserviunt. Sunt præterea quatuor sacristæ.. Hi vero omnes, more ecclesiarum collegiatarum, ter quotidie.. in choro conveniunt. *(Sac. Reg. Visitat. per Siciliam a Joan. Aug. De Ciocchis, Caroli III. Reg. jussu acta, tit. I. et II. a pag. 192 ad pag. 195.)*

III.

Verum non omnia superius enucleata mode singulatim respondent, ut se habet exempli gratia Sacrum Eucaristiæ ciborium, quod in præsentiarum non amplius in ara maxima, sed ad dexterum latus, quod januas respicit, assurgit. Circa homines, magistratosque sacerdotes, hujus Mansionis ecclesiæ cultui, ac guberaio adstantes, præpositosque, inest etiam ab antiquis statutis aliquod discrimen; etenim illi modo majori numero constant, et Constantiniano ordini subjecti, non ab alio quam a Rege, veluti Magno ipsius ordinis Magistro, ordinarioque, eliguntur. Atque hoc sane congruenter; quoniam Ferdinandus III Rex, et Magnus Magister ecclesiam istam decrete die VII Junii anni MDCCLXXXIX edito, Constantinianam fecit, equitibusque hujus ordinis pro eorumdem religienis officiis adtribuit. Hinc factum est, Mansionem universam omnibus Constantinianis privilegiis amplissimis, quae jus novum, et prægrande constituunt, a Clemente XI in bulla *militantis* anni MDCCXVIII concessis, erectam fuisse, adauctamque. Qui illi ecclesiæ prior adstabat, ad nutum olim abbatis commendatari creatus, nunc jubente eodem Ferdinando, diplomate V Maji anni MDCCLXXXX rector edicitur, qui

Digitized by Google

tantum eminentior a veteri priore illo pusillo extollitur, quantum solemniori regali, et magistrali electione præficitur, ac Magni Prioris institutione Constantiniana canonica solidatur. Attamen hoc munus hac nostra tempestate fulgentius emicat, tum quia hodie ab episcopo geritur, qualis se habet Illustrissimus, ac Reverendissimus Dominus D. Julius Benso Constantinus antistes, tum quia is vir in primis nobilis, et de Mansione, atque ordine Constantiniano optime meritus; cui laudationem addere, laudes excerpsisse est. Antiquitus prior veluti abbatia adjutor, et quodamodo servile brachium, illius gubernationi mancipabatur; nunc vero rector sua potitur potestate in ecclesia Mansionis, licet Magni Prioris non vicaria. Hæc autem qualis, et quanta intra ipsius ecclesiæ tantum septa, inque ejusdem clerum exurgat, tum Ferdinandus augustus Rex noster, et Magnus Magister, tum etiam Magnus Prior Don Petrus archiepiscopus Naselli, quibus standum, edidere. En Regis verba decreti die XI augusti anno MDCCCLI italica, prout conscripta. « Sua Maestà il Re N. S. informato . . delle pregevoli qualità, ed ottimi requisiti . . . di monsignor D. Giulio Benso . . si è degnata nominarlo rettore della chiesa Costantiniana della Magione; dovendo il medesimo accoppiare alla sua persona il grado di giurisdizione, che verrebbegli conferito dal prefato monsignor Naselli, con la dipendenza di quella, che come ordinario compete al cennato gran priore; ond'esso monsignor Benso col conosciuto suo zelo curi, che sieno corretti gl'inconvenienti, che hanno luogo nel clero della succennata chiesa della Real commenda, e sieno esattamente osservate le ecclesiastiche discipline. » *(Collez. di cose Costant. pag. 19.)* Magnus Prior in suo confirmationis, sive institutionis decreto, die VIII octobris præfati anni, hæc venerabili episcopo Benso rectori adtribuit. « Vos Rectorem dictæ Regalis ecclesiæ (scilicet propiæ dictæ Mansionis) . . facimus, constituimus, ac deputamus . . Dantes, et concedentes vobis potestatem, et mandatum speciale, omnia exequendi, quæ pro bono ejusdem regalis ecclesiæ regimine exercendo, tum quoad sacrorum functionum directionem, tum ad promovendam uniuscujusque altaris ministri, vel totius cleri in ipsa inservientis officiorum adimpletionem, fidelem sacramentorum dispensationem inducendam, decorem, vitæ honestatem conservandam necessaria, utilioraque vobis videantur . . Quocirca mandamus omnibus cujuscumque ordinis, ac dignitatis eidem ecclesiæ, nempe Mansionis, inservientibus, ut vos in rectorem recognoscant, recipiant, admittant, et revereantur, ordinationibusque vestris, ut par est, obediant . . » *(Collez. ut sup. pag. 22.)* Neque Rex, neque Magnus Prior heic faciunt alterius ecclesiæ mensionem. Igitur ita jus se habet.

Digitized by Google

IV.

Attamen, quæ veniunt jura ecclesiastica, ea a Magno Priore pertractanda, Rex noster Ferdinandus II, veluti Magnus Magister, in mandatis dedit; cujus rei en in hunc locum verba nomine Regis ejusdem ex rescriptis, quæ hoc negotium perbelle conficiunt. Ex rescripto diei XXI maji anni MDCCCLII ad Constantinianum parthenopeum synedrium, quod vulgariter deputationem vocitant. « Vuole inoltre la M. S., che per la parte ecclesiastica non' si faccia novità, standosi allo bolle per la ingerenza del Gran Priore dell' ordine; e dippiù la M. S. comanda, che si formi lo stato discusso delle rendite della chiesa della Magione, di pertinenza, come sopra, dell' enunciato Real ordine. » Ex rescripto diei IV augusti anni MDCCCLII ad Magnum Priorem. « Fermo rimanendo; che per le cose tutte della chiesa della commenda medesima debba esclusivamente ingerirsene V. E. Rma, quale Gran Priore Costantiniano. » *(Ex libro notizie della chies. della Magion. e dell' ord. Costant. in notis, ad pag. 35, et 218.)* Ex rescripto diei V octobria anni MDCCCLII ad Magnum Priorem. « Vuole poi la M. S. che V. E. Rma proceda sollecitamente alla riorganizzazione della chiesa, e della Collegiata unita alla detta commenda; e proponga subito ciò, che occorra a mente degli ordini Sovrani. » *(Ex lib. Collez. di cose Costantin. pag. 49.)*

Jura igitur ecclesiastica ecclesiæ Mansionis, queis utique intelligenda sacræ jurisdictionis exercitium, et de animabus, de clero, deque cultu erga Deum gubernium, uno verbo quidquid est suapte natura spirituale, minime vero supellex, in re tantum physica, at non in usu desumpta; ea quippe subjacent uni Magno Priori, qui ea ipsa ejus vice continenter exercenda posset alicui demandare, id quod talis antistes nondum pro sua sapientia circa ecclesiam ipsam Mansionis explicite fecisse adhuc compertum est. Ex iis nihilominus excipienda est auctoritas, adhibendi in dicta ecclesia phaleras pontificales, sacrisque in ea ordinibus clericos consecrandi, alicujusque peculiaris negotii pro re nata executio; quibus idem Magnus Prior optimum dominum rectorem episcopum Benso jure meritoque donavit, ac donat. *(Vid. not. ut sup. in not. pag. 135.)* Quare jurium illorum ecclesiasticorum habitualia, atque immediata dispensatio, adimpletioque penes Magnum Priorem, nemine ejus prope Panormi vices gerente, perseverat.

V.

Sed ad propositum redeamus. Quod utique isthæc Mansionis basilica, seu ecclesia fuerit consecratione oblinita, patet ex sexdecim crucibus, hinc inde in ea cminus in-

sculptis: verum quando, et a quo antistite incertum. Qua de re, ut aliquam nihilominus certitudini proximitatem extricare pote sit, audire hic summatim Mongitorium nostrum in suo laudato opere, monumenta ecclesiæ Mansionis, expedit.

Simon Bononia civis, et archiepiscopus Panormitanus IV aprilis MCCCCLIII in ecclesia nostræ Mansionis sacellum, et altare Deiparæ Virginis, SS. Fabiani et Sebastiani, nec non Sancti Georgii martyris consecravit, ut ex ejusdem litteris patet. *(Monum. ut supra pag. 134.)* Hoc præstitit archiepiscopus iste, Theutonicis loci accolis militaribus religiosis petentibus. At ex hoc eruit Mongitorius, quod si universa Mansionis basilica consecrationem haud fuisset sortita, certe archiepiscopus Bononia, ut aras, ita et basilicam ipsam consecrasset *(Ibid. pag. 182.)* Perperam, nam neque hoc sibi ad libitum archiepiscopus in ecclesia exempta habebat, et magnæ molis est integræ ecclesiæ, contra ac unius, vel alterius aræ consecratio; ita ut et faciliori negotio ara magis, quam ecclesia consecratur, quod ecclesiarum curatores minori expensa, et labore obtinent; utpote videre licet etiam hodiedum multis in ecclesiis, ubi aræ tantum, neque omnes consecrationis olio delibutæ perficiuntur. Mongitorius ipse refert concilii Londinensis sub Gregorio IX anno MCCXXXII coacti decretum, quo cautum, ut omnes primi subsellii templa infra biennium consecrarentur. Hinc videtur ab illa ætate, intra sæculi decimi tertii, et decimi quarti orbem, Mansionis basilicæ consecratio incidisse. Et re quidem vera multæ Sicilienses ecclesiæ post Londinense decretum gradatim fueræ consecratæ. *(Ibid.)* Attamen hujusmodi ratiocinatio tantum levitate scatet, quantum idem Mongitorius, cæteroquin acuminatæ mentis homo, hæc subjicit.

« At longe ante consecratam nostram basilicam censeo; eo enim sæculo, nempe decimo secundo, quando nostra hæc Mansionis ecclesia extructa, nonnullæ etiam minoris structuræ, et dignitatis consecratae Panormi ecclesiæ; nempe anno MCXXXI antistites Gualterius Panormitanus quatuor, Gauffridus Messanensis, Guilelmus Syracusanos, et Guarinus agrigentinus tria consecrarunt templa S. Mariæ de Admirato, S. Matthæi, et SS. Senatoris, Victoris, et Cassiodori. Anno MCXL ecclesia S. Petri in regio palatio, anno MCLXXVIII ecclesia S. Spiritus extra urbis mœnia a Gualterio archiepiscopo panormitano, anno MCLXXXV cathedrale templum ab eodem Gualterio . . consacratae fuerunt. Ideoque non sine rationis fundamento conjicere licet, nostram Mansionis ecclesiam, quæ inter cæteras structuræ magnificentia, harum nonnullas excellit, a fundatore Matthæo regis cancellerio excitatam, a Regibus auctam, ac ditatam, hoc ornamento eo tempore non caruisse; et forsan statim postquam fuerit numeris omnibus absoluta, hac solemni consecratione illustrata latius inclaruit. *(Mongit. qui supra pag. 182, et 183.)*

VI.

Hinc quanta reverentia in templis Deo sacratis immorari fas sit, et quantum intra ipsorum parietes majestate, et clementia divina inclarescentes, atque angelorum famulatu, et obsequio stipatas, ad sanctuarium Domini pavendum? Vere sanctuarium unaquæque sacrata basilica, quæ vi oleorum sanctorum, quibus madet, significat Christi humanitatem, cui olim enunciatum: *unxit te Deus, Deus tuus olio lætitiæ.* Et quidem unaquæque sacrata basilica hymnis, et canticis, in ea obstrepentibus, et in Deum charitate intra illam a fidelibus profluente, refert cœlestem sanctorum Hjerusalem, ubi æternum canitur *alleluja*, inter gaudentia amoris delicias indeficientes. Vere igitur, ut sacra Agni sponsa quævis sacra emicat basilica; ita sane, ut de nostris etiam terrenis basilicis subintelligit catholica ecclesia, cum canit:

O sorte nupta prospera,
Datata Patris gloria,
Respensa sponsi gratia,
Regina formosissima..
Christo jugata principi,
Coeli corusca civitas.

Et re quidem vera sacris in templis prostrati, orantesque cœlestis civibus, cœloque copulamur:

Illi canentes jungimur
Almæ Sionis æmuli.

At quantum enitendum a sacerdotibus, ut in basilicis sacris, dum sacra faciunt, pensum ecclesiasticum in choro persolvunt, et sacramenta administrant, sese penitus in vultu, in oculis, in incessu, in corpore ad modestiam componant; veluti homines, qui divinam magnitudinem, et præsentiam persentiscere in omni re sua pandant. Id fideles magis quam publica verba, sæpe sæpius arida, et nummorum stimulo prolata, ad penitiorem charitatem, fidem, omnigenamque virtutem allicit, illisque facit incumbere; nam ex hoc quoque capite talis populus, qualis sacerdos.

VII.

APPENDIX

de jure novissimo circa Ecclesiae Mansionis sacellarios, atque ejusdem Ecclesiae Rectorem.

Dum haec typis ederentur, syngraphus efficiorum, et proventuum, sive, ut ajunt, status discessus, qui sacerdotes Mansionis, et sancti Joannis leprosorum respicit, sancitus ab Rege nostro augusto, ad nos pervenit. Juvat ex eo aliqua potiora, ad certum jus quomodolibet Constantinianum extricandum, italicis verbis, prout exaratum, delibare.

Atque imprimis hoc modo exorditur. « Regolamento per le servizio interno della Real commenda della Magione in Palermo, e di quella di san Giovanni dei leprosi, che ne dipende .

Dehinc ita haec habet. — « I diciotto ecclesiastici, addetti alla Real chiesa della santissima Trinità della Magione, debbano essere considerati, perchè inservienti ad una conspicua chiesa del Real ordine Costantiniano, e sotto la giurisdizione dei Gran Priore dell' ordine medesimo, come cappellani sacellarj, in servizio delle stesso Real ordine. — Gli obbligati al coro saranno sottoposti alla puntatura, quante volte non fossero per provata indisposizione impediti. — Ai sagrestani, ed ai secolari, che mancheranno al servizio, potranno essere tolte le giornate, in che mancano, o disciplinalmente sospesi a giudizio del Rettore, per non più di quindici giorni. Queste disposizioni disciplinarie saranno consegnate in un libro, che dirassi appuntamenti, e verranno firmate dal Rettore, come colui, che le dispone, e dal vice-rettore, e dal prefetto di sagrestia, come quei che ne prenden nota. — Per lo pagamento, che sarà netto di ogni ritenuta, dei rispettivi mensili, il Rettore immetterà in fine di ogni meso alla contabilità della Commenda uno stato di servizio di tutti gli ecclesiastici, e laici, addetti alla chiesa. — Il Rettore disporrà in modo tale la celebrazione, che le messe non celebrate dagli uni nel corso del mese, siene celebrate dagli altri; che nelle feste vi siene sempre tutte le messe, e qualcuna anche all' ultima ora, per comodo dei fedeli; e che in fine vi siene una, o più sacerdoti estranei, da supplire quelli addetti alla chiesa, che per esso non celebrassero. — Il pagamento ai predicatori adibiti per gli esercizj spirituali, giusta la destinazione, che ne farà il Rettore, sarà eseguito dall' amministrazione locale, dietro la richiesta del Rettore medesimo ,

accompagnato da una copia dello appuntamento della destinazione. La spiega del catechismo sarà fatta da chi crederà il Rettore trai collegiali, o secondarj, addetti alla chiesa.

« Per le spese della chiesa di san Giovanni de' leprosi, i pagamenti si faranno come, per quelle della Real chiesa della Magione; solo che in vece delle firme del vice-rettore, e prefetto di sagrestia di questa ultima chiesa, si richiederanno quelle del cappellano, e del prefetto di sagrestia della chiesa di san Giovanni, col visto del Rettore della Magione. — La dimostrazione dello esatto adempimento dei doveri degli ecclesiastici, e degli altri addetti alle chiese, delle quali è parola, non che delle opere ingiunte nello approvato stato discusso, sarà annualmente presentato dal Rettore al Gran Priore per le misure disciplinari, che potessero occorrere, e per le provvidenze, che facesse mestieri all' oggetto impetrare da S. M.

« Approvato da S. M. ai termini del Real rescritto del 12 marzo 1855. Il ministro segretario di stato presidente del consiglio dei ministri. — Firmato — Troja. — »

VIII.

Ex dictis eruitur: sacerdotes, quos Rex Magnus Magister, Mansionis sacro cooptat collegio, haberi ipso facto vere et propie ordinis Constantiniani fratres sacellarios. At quoniam bonae memoriae Rex Ferdinandus I pluribus decrevit sanctionibus; ordinem Constantinianum Hjerosolimitano sive Melitensi ordini conformandum; sequitur, Mansionis ipsos sacerdotes privilegiis pari ratione origi, ac Hjerosolimitani sacellarii, sive fratres capellani eriguntur: atqui isti ordinis crucem possunt absque ulla alia declaratione deferre, ergo et illi; eo vel magis quia Constantiniani ordini Constantiniano quomodocumque mancipati, cruce ejusdem ordinis, at bifulcata, possunt insigniri. Attamen ex eo hujusmodi clerici non censentur vere ordinis equites, quos diploma peculiare Magni Magistri tantum creat, sed clerici mere ordinis servitio addicti.

Eruitur: qualis et quanta in Rectore debeat insidere erga suos Mansionis, ac praepositum, caeterosque sancti Joannis potestas; cui addendum, ut sparsim in syngrapho etiam videre est, quamcumque sive accepti et expensi, sive stipendiorum exactionis notulam tum constare robore, quando idem Rector illam se vidisse suo nomine signat. Hujusmodi potestati heic enucleatae, cum altera retro ab hinc annis rectori ab rege, et Magno Priore impertita addatur, *(Vid. lib. collez. di cose costantin. pag. 19. 22.)* plane dignoscitur, quid rector pro suo munere in universum valeat, ac debeat probiter obire.

Eruitur tandem in potestate ejusdem rectoris esse concionatorum, et in Mansionis ecclesia, designationem.

Digitized by Google

Haec omnia a Rege nostro approbata, et sapienter, ut cuidam loci viro eminentiori membra subjicerentur, ad membrorum eorumdem in unam corporis decoram coagmentationem, eaque ad continendum in officio, jus quoddam novum canonice Constantinianum pro recto atque expeditiori gubernio constituunt. Quae vero circa gubernium hoc in sanctum Joannem ad peculiarem trutinam revocare fas est, pro coronide commentarioli sequentia expediam.

At Deus omnipotens in longiorem aevum protendat annos moderni Rectoris Mansionis, tum quia is episcopali dignitate prefulgens, ac de ordine Constantiniano bene merentissimus, tum etiam quia vir ingenio, religione, benignitate, bonisque moribus comptus; adeo ut parem eidem successorem pro comuni nostrum bono satius in votis habere, atque a domino Deo postulare juvabit.

COMMENTARIOLUM

de Regali Constantiniana Ecclesia Panormi extra moenia Sancti Joannis leprosorum.

I.

Detur heic venia mihi, quaedam de vetustissima ecclesia nunc Constantiniana recensere, tum quia id mea interest, utpote ego in ea, Regis Magni Magistri clementia, moderator, tum etiam quia in sicula nostra historia isthaec ecclesia percelebris. Loquor igitur de templo divo Joanni Baptistao dicato, cui olim primitus leprosorum, unde nomen quod adhuc retinet, et dehinc amensium xenodochium adnexum. At bene vertit, quae hujus sancti Joannis leprosorum sunt, a summopere saepius laudato Mongitorio *in libro Monumenta* summatim excerpere.

Extructum templum hoc extra Panormum ad meridiem a Roberto Guiscardo, et Rogerio Siciliae comite, quando illuc castramentati, Panormum ipsum secunda obsidione, ut a saracenis eriperent, enitebantur. Quo anno adamussim incertum, attamen id prope annum MLXX evenisse conjicitur, cum paulo post in id temporis deditio Panormi Northmannis incidit. Templum abunde bonis, fundis, redditibusque locupletatum ab Rogerio, et Gulielmo I siculis regibus, quorum postremus id praestitit anno MCL. Idem Gulielmus huc sanctum Joannem xenodochio leprosorum tunc erecto adjecit; quamvis ego suspicor, altero commentariolo probandum, illic domunculas pro panormitanis leprosis antiquiori aevo, etiam dominantibus in Sicilia Mauris,

extasse. Fridericus II imperator anno MCCXXI idem templum, xenodochiumque Theutonicis adtribuit, unde utrumque nostrae Mansionis commendae, seu præceptoriae, prout tunc audiebat, copulatum. Ex hoc factum est, curam leprosorum Theutonicis ipsis, incassum sancti Lazari equitibus conclamantibus, demandatam. Theutonici, ut par erat, templo de quo loquimur sancti Joannis etiam praefuere: quibus facessere anno MCCCCXCII a Mansione jussis, discretio inter sancti Joannis xenodochium, atque ecclesiam intercessit; etenim illud praetori, senatoribusque panormitanis mancipatum, ac altera nostrae Mansioni, verba sunt Mongitoris, colligata remansit, tamquam ejus membrum, cum omnibus ejusdem bonis, ut modo est annexa. Hanc idem, certo pro hac ecclesia capitalem, idem auctor pluribus aliis in locis suggerit; quamvis ipsam luculentioribus verbis in exordio capitis XIII exprimit, quod in hunc locum retulisse juvat. « Propagatus per Siciliam Theutonicorum militum ordo nonnullas condidit aedes, quae omnes ab hac nostra panormitana Mansione, tamquam a capite membra, pendebant, ut advertit Fazellus, qui de hac nostra Mansione ait; *subsunt ei nonnullæ ædes:* clarius Pirrus; *ejus præceptori reliqua sicula xenodochia eorumdem militum credita subjicebantur.* » *(Monumenta pag. 185.)* Aedes in Siciliae regno theutonicae cum ecclesiis, parvae mansiones dicebantur, suo moderatore instructae, qui parvus praeceptor appellatus, obnoxius erat ut decebat, non peculiaribus administris vel domus, vel ecclesiae Mansionis panormitanae, sed tantum magno illius praeceptori, veluti provinciali. « Anno MDCIV, loquatur adhuc idem auctor, a Philippo Jordi regio visitatore post Mansionem, nempe integram commendam, est haec sancti Joannis ecclesia, ut ipsius suffraganea perlustrata; ac se invenisse testatur altare majus sancto Joanni dicatum, et in utroque ejusdem latere alia duo altaria, quorum unum Deiparae Virgini, aliud sanctis Margaritae, et Nympae addictum. Comperisse addit: quod ecclesia pauculos ante annos fuerat instaurata, et omni ex parte innovata, quod in ea quotannis tantum festum sancti Joannis celebrabatur. At statuit idem visitator, quod in ea celebraretur missae sacrificium die Paschatis, in festo patroni ecclesiae, et in omnibus dominicis diebus totius anni, sumptu commendatarii Mansionis. » *(Monumenta pag. 195.)* Idem Mongitorius testabatur, hunc sanctum Joannem a se ex industria anno MDCCXVIII visum fuisse, unde quae sequuntur de illo addebat. Porta major saxis ac calce per annum, ne locus latronibus pateret, occlusa manebat, aperienda tantum in paschate. Ingressus itaque extra hoc templum per minorem portam ad dextrum latus. In ara maxima tabella erigebatur Virgini in coelum assumptae sacra, quae erat opus affabre elaboratum, exordio seculi decimi septimi, prope annum MDCIV, cardinale Joannettino Doria archiepiscopo panormitano, Mansionis commendatario; a quo per id temporis templum in fornicibus re-

fectum. In lateris laevi medio assurgebat olim sacellum. Turris campanaris campanis vacua erigebatur, ne eas furarentur latrones, quibus, ut ansa omnimode subripiendi interdiceretur, etiam occlusae demissae fenestrae templi. Templum curae alicujus ministri sacerdotis committebatur, ut sacrum illic faceret, qui vestes, alisque ad sacrificandum necessaria secum afferebat. Foras in templi vestibulo invenit idem Mongitorius terram hinc inde in scrobes a thesaurorum somniatoribus erutam. *(Monum. pag. 195, et 196.)* Uno verbo, sacrum, et percelebre monumentum principio saeculi transacti direptionis aedificio quodamodo aequabatur.

At melius dehinc ecclesia ista sancti Joannis se habuit; namque ab anno MDCCXLI bi pedetentim constabilita Sanctissimum Sacramentum, oleum infirmorum, confessionum exedras, et capellani ut dicunt officium; quamvis iste capellanus tunc commendatario ad nutum, ut colligitur ex ipso Mongitorio, eligebatur. At idem de Ciocchis visitator, ne illustris ecclesia ut antea delitesceret, plura in ejus bonum sancivit, ac illud; quod ecclesia ipsa a xenodochio absque regis consensu jam sibi, temporum intercarpedine, attributa, in jus commendae Mansionis tamquam ejus membrum rediret. *(Vid. acta Visit. De Ciocchis, ut sup. pag. 211, et 212.)* Animadvertendum tamen, non omnia in mandatis data pro hac ecclesia a De Ciocchis posse in praesentiarum vim legis habere, cum aliae meliores circumstantiae, praesumptiones, et jus Constantinianum, ut modo dicendum, pulchius solidiusque ipsam ecclesiam comitantur, erigunt, atque sustentant. Utique, namque intra quinquaginta fere annorum spatium ad haec usque tempora hujusmodi ecclesia meliorem sortita est formam, annonam gubernium. Erectae inde in ara maxima Christi pregrandis cruci confoxi, in ara ad dexteram sancti Joannis Baptistae, atque in ara ad levam Virginis a doloribus insculptae icones: etenim hujusmodi templum in veteris ecclesiasticae disciplinae morem tribus tantum altaribus intra veluti quoddam secretarium, sive sancta sanctorum constat. Suppellectili licet modica, attamen sua, templum instructum. Duo sacra quotidie in templo eodem nunc peraguntur, quorum in postremo divina eucaristia, ibi perenniter asservata, populus benedicitur. Quotannis sacrae sancti Ignatii commentationes duabus vicibus subcessive, in mulierum hominumque profectum, illic habentur; hebdomada major, caeteraeque festivitates sanctorum, ac praesertim sancti Joannis patroni, celebrantur. Quovis die dominico concionibus ante meridiem de Christi evangelio, atque post prandium de christiana cathechesi, aliisque concionibus praeter ordinem in anno, illic probe fideles erudiuntur. Duo adstant templo sacerdotes, domo intra universum aedificii ambitum donati, quorum alter praeses, quem vetusto nomine, capellanum adhuc vocitant, alterque ejus administer major aedituus, sive praefectus nuncupatus. Templum hoc numquam sacro consecrationis olio delibutum.

Digitized by Google

Verum enim vero nitentiori ac magis eminenti honore, praestantia, et auctoritate nunc sanctus Joannes noster, ut innuimus, præfulget, quia ordini Constantiniano impexus; quod evenit, quando Ferdinandus III augustus Magnus Magister anno MDCCLXXXVI Domum Mansionis cum omnibus ejus bonis, atque aedificiis, ædibusque adjunctis ejusdem ordinis commendam declaravit, constituitque. Et recte, quoniam templum hoc domus, sive commendae Mansionis sortem principaliorem Constantinianam veluti accessorium, sive membrum, sequi debet. Quare hodiedum jure ac merito commendae Constantinianae Mansionis, a cujus solo ære, pro suis olim magnis redditibus, penitus sustentatur, adsciscitur. Hinc ex Constantiniana militia novum jus in hanc sancti Joannis ecclesiam invectum. Subjacet nunc Regi Magno Magistro, militiæ ejusdem juxta Clementem XI eminenti *ordinario*, et Magno Priori antistite immediato Neapoli degentibus. Qui Joanniticae ecclesiae modo praesidet sacerdos, non quilibet, ad illam custodiendam, ut olim pro abbatis libito, sed rescripto regio magistrali, quod a Magni Prioris etiam auctoritate roboratur, eligitur; et quippe vir, qui omnia munia sacerdotalia, guberniumque possit amplitudine aliqua, et dignitate Constantiniana exercere; quamvis ego qui taliter nuper electus, me non meritis istis, sed sola Regi augusti Domini mei Magni Magistri benignitate elatum, vere, et ex animo profiteor. Possessione etiam canonica, quam Magnus Prior ope alicujus viri in dignitate constituto, per delegationem tradit, iste sancti Joannis praeses rite constituitur. Equidem ego ab illustrissimo et Reverendissimo Constantinae episcopo Domino Julio Benso, vere Domino meo, et benefactore, Magni Prioris delegato, in possessionem ejusdem ecclesiae kalendis decembris anni MDCCCLIV immissus sum.

Nunc pro re nata, et in juris robur praestat meæ electionis rescriptum Regis nomine ad Magnum Priorem ab primo praeside administrorum datum, quodque idem Magnus Prior litteris suis ad me pro sua humanitate misit, heic italice, ut jacet, transcribere.

Gran Priorato del Reale e Militare ordine Costantiniano di San Giorgio.

« Al rev. Signore, il Signor Dre D. Alberto Pierallini, nominato cappellano della Costantiniana chiesa di S. Giovanni dei Leprosi di Palermo.

« Napoli 1 Novembre 1854.

— Signore —

Da Sua Eccellenza il ministro segretario di stato presidente del consiglio de' ministri, 2° ripartimento, carico n. 1018, mi si scrive quanto segue :

« Eccel. Rev.—Sua Maestà informata dei requisiti favorevoli, che concorrono nella persona del sacerdote D. Alberto Pierallini, si è degnata uniformemente al parere di V. E. Rma. nominarlo cappellano della chiesa del Real ordine Costantiniano di S. Giovanni dei Leprosi di Palermo, in luogo del defunto sacerdote D. Pietro Sommariva.

« Nel Real nome lo partecipo all' E. V. Rma., per intelligenza sua, e del Pierallini, perchè si serva farne ogni altro uso, che convenga; prevenendola di esseraene passato il corrispondente avviso al delegato pel temporale *della commenda Costantiniana della Magione, di cui fa parte la detta chiesa* — Napoli 30 ottobre 1854 — *F. Troja.*

Tanto con piena mia sodisfazione le partecipo, perchè di corto ella si ponga nell'esercizio dell'officio indicato, e colla dottrina, di che è fornita, e più colla sua esempiare condotta, voglia di che son certo . . reggere la chiesa indicata, onde così promuovere la gloria di Dio, la salvezza delle anime, ed il vanto del nostro Re (D. G.) Gran Maestro del Real ordine Costantiniano, da cui ella da questo dipenda. »

Il Gran Priore — *Pietro Naselli.*

Notandum heic cursim: a Rege nostro augusto adscribi in modo allato rescripto sanctum Joannem commendæ Mansionis, atque a Magno Priore edici, ut electus veluti verus moderator ipsam ecclesiam regat. Ecclesia igitur sancti hujus Joannis leprosorum eadem, ac pari ratione commendæ Constantinianae Mansionis adscita, ac ejusdem Mansionis altera Sanctissimae Trinitatis adscita ecclesia. Unde utraque, veluti ejusdem arboris praestantissimi rami, nativa virtute praestat, ac consistit; licet prima antiquior, et veluti manu nostrorum regum erecta, ac abunde ditata. Equidem non levis pars modo redditunm Mansionis a Sancto Joanne, cui olim a primo Guilelmo ut deximus appliciti, sicuti videre est in Mongitorio, originem ducunt.

Paucula nunc verba de capellania, prout adhuc sonat, hujus sancti Joannis nostri addere bene est. Ea in præsentiarum a canonica beneficii natura non videtur disjecta. Beneficium in proventu annuo cum officio in Dei obsequium, et ecclesiae servitium, suae haerens stabilitati, consistit. Hoc lippis, et tonsoribus notum. Atqui hoc ipsum illa capellania praesefert; etenim aeris annuatim praestabiliti, sacerdoti, qui ea donatur, affert fluctum; eidemque concionandi, aures in confessione pœnitentibus præbendi, regendi ecclesiam, aliaque munia sacra ibi peragendi onus imponit. Beneficium dividi in ecclesiasticum, laicale, et regulare in comperto est. Igitur sancti Joannis nostri beneficium, cum tale perspici ab subtiliori atque in canonica exculto ocello contigerit, quia sacrae militaris religionis Constantinianae propium, regularibus beneficiis adscribendum: nam regulares etiam suis sive sociis, sive inservientibus vera beneficia impertiuntur. Quod si regularia beneficia stabilitate perpetua viderentur primo obtutu enervari, id nullus huic nostro officit, cum hujusmodi beneficia, suapte natura propriis moderatoribus obnoxia esse debeant, quin ab beneficiorum caractere deficiant. Sunt regularia propii generis, at quidem vera beneficia. Jam vero quis beneficiarium regularem a suo beneficio poterit deturbare? Certe numquam moderatoris ad libitum voluntas, quae modo in perspectissima regis, et Magni Prioris aequitate, et justitia

Digitized by Google

innititur, sed ratio ad majus religionis bonum, aut quando beneficiarius transversus, a recto, atque officio graviter deflectit. Atqui hujus etiam rei causa beneficiarius ecclesiasticus sese a suo beneficio, episcopi auctoritate, expunctum deflere potest: quare capellania isthaec, sive beneficium propter perennitatis equalitatem beneficiis ecclesiasticis comparatur. Restat beneficii hujus Constantiniani, si placet, ad sancti Joannis collatio, institutio, et possessio. Istae utique a Magno Magistro, ordinario, et sua veluti episcopali jurisdictione juxta Clementem XI donato, et a Magno Priore ejus altioris ordinis delegato praelato, sunt conferendae; quas hujusmodi beneficio evenisse ex allatis patet. Etenim collationi, institutionique aequivalent in unum Regia, Magni Magistri, atque Constantinianae militiae ordinarii diploma electionis meæ, et Magni Prioris ad me litterae, ut supra. Neque hic ambigendum de forma; cum substantia in eodem diplomate, atque in eisdem litteris, enuncians propie, et vere collationem, institutionemque, integra manet. Adde beneficia regularia hoc tali stylo, et modo ab moderatoribus regularibus solere suis conferri. Possessio, ut supra innui, accessit ex Magno Priore per reverendissimum, et numquam satis laudatum episcopum Benso, ejus, datis mandatis, delegatum, et quidem vere canonica, quia ab fidei professione, stolae, et pilei clericalis traditione, altaris osculo, ac in exedra sessione comitata; quod evenit kalendis decembris MDCCCLIV. Restat quoque erectio ad hujus beneficii titulum. Haec, ut probe norunt omnes, vel juris vel facti esse potest. Atqui emunctae naris canonistae non stricte juris erectionem, quae conceptis verbis a primaeva origine beneficium nominando creat, sed illam facti tantum, temporis beneficio roborandam, tamquam solam necessariam ad beneficium admittunt. Atqui rex Ferdinandus III Magnus Magister, vere Constantinianae religiosae militiae ordinarius, ab episcopo non impar, annuum proventum, sacrumque officium joannitico praesidi adtribuit, idemque caeteri Reges Magni Magistri per temporum intervalla ratum habuere. En igitur facti de beneficio hoc constantiniano erectio.

Certe nitentiore praestantia Constantiniana redolet, quod munus hoc primi sacerdotis in sancto Joanne leprosorum magis beneficium, quam capellania vocitetur, habeaturque. Ast quare in regis sapientissimi rescripto hoc potius adhibetur nomen, quam illud? Respondeo. Primo, ex hoc ipso heic quaestionem tantum de nomine, et non de re institui: nomen capellania, at res beneficium. Secundo, quia Rex illo utitur nomine, quod adhuc ex primaeva humili origine in usu passim venit, quin Rex ipse de jure sub hoc nomine delitescente, aliquid extricet, vel calculum nec ne adjiciat. Nomina certe penes arbitrium quid valeant ex potioribus rationum momentis, quam ex sono intelligi aliquoties opus est. Certe ipsa ecclesia catholica quaedam antiqua nomina retinet, aliud tamen recentius sub eorum sono propter novas juris, et facti rationes intelligit, suadetque.

Haec argumentandi gratia prolata, atque in posterorum meorum comodum, lector aequi bonique faciat; cum ego grati animi significatione in Regem meum augustum, ac in venerandum Magnum Priorem aestuans, non alio modo beneficiarius Constantinianus esse contendo, quam, ut me totum pro virium tenuitate regio decori, ac famulatui, regalibusque juribus, et magis Dei gloriae, atque animarum bono in sancti Joannis ecclesia, ad coelorum verius beneficium aucupandum, valeam sospite Numine dicare.

II.

Nunc pro coronide paucula mi veniunt cursim evolvenda, quae etiam benignus lector pro sua humanitate non dedignabitur. Ecclesia sancti Joannis leprosorum ecclesiae Sanctissimae Trinitatis filialis procumbit? Minime quidem, cum in jure canonico illa censeri debet filialis ecclesia, quae ab parocho intra parocciae suae limites in gregis sui ipsius bonum aere suo fundata est, quam ipse per suam vel electionem, vel praesentationem animarum curatore, et quidem sibi ex condicto obnoxio, donat. Atqui nihil ex iis evenisse compertum est sancti Joannis ecclesiae, cum eadem per octoginta fere annos aetate ecclesiae Sanctissimae Trinitatis antecellere habuit; ac dote sua a Rogario comite, ac regibus nostris aucta est. Quin imo videretur ecclesia potius Mansionis filialis sancti Joannis appellanda, utpote ea, quae iisdem sancti hujus redditibus, sane pinguibus, dehinc fuerit cumulata; quamvis ego ecclesiam Mansionis excelsiorem nunc, nobilioremque venerare congaudeo. Ast ut suffraganea ecclesia sancti Joannis ecclesiae Mansionis saltem subjicitur? Neque hoc quidem, quod ex modo dicendis strictius concludetur; licet joanniticus praeses, sive capellanus tantum in praesentiarum suffraganeus rectoris Mansionis certo quodam sensu utique nuncupandus, quia eidem in paucis novissime Regia voluntate, quam summo obsequio prosequor, obnoxius. Res, ut recte pateat, a principio repetenda.

Jam vero Fazellus, Mongitorius, aliique historici, ut supra demonstravimus, *(pag. 13)* ecclesiam sancti Joannis olim preceptoriae, sive nunc commendae, at minime ecclesiae SS. Trinitatis Mansionis nullo umquam tempore implicitam demonstrant. At quia sancti Joannis leprosorum ecclesia olim sub uno tantum abbate, saepe saepius longiqua in regione degente, nullo propie dicto praeside, sed tantum sacerdote precario instructa, qui in ea sacra aliqua per annum faceret, et passim occlusa, ne latronibus pateret, absque spiritualis cultus continuitate pessundabatur; regius visitator De Ciocchis anno MDCCXLI tantis mederi malis cupiens, in mandatis dedit, ut eidem joanniticae ecclesiae ille, qui in Mansione prior esset, cura incumberet. Notandum tamen heic, hujusmodi curam in canonico conceptu inspectionem, at non

omnimodam auctoritatem, quando in loco aderat administer, involviase. Sed temporum successu feliciori, quo sanctua late Joannes, Tertio Ferdinando Rege Magno Magistro jubente, constantinianis caeperit esse copulatus, quod anno MDCCLXXXVI accidit, et praeside stabili continuo, et redditibus, sacrisque in Dei obsequium, et in animarum emolumentum officiis continenter ornatus, in meliorem, imo in novam Constantinianam compagem, ab omnibus antiquis detrimentis, seu incuriae desidiaeque, seu latronum omnino perpurgatam, fuerit redactus; praesumptio illa facti deterioris a De Ciocchis praeconcepta cum deficeret, et ejusdem sanctio circa prioris curam modo dictam deficere videbatur. Hoc ex juris sacri doctrina liquido fluit. Addendum: ad quid hujusmodi cura sub Rege Magno Magistro, sub Magno Priore, sub Commendatore excelso, et varii ordinis administris, in sanctum Joannem eminentioribus moderatoribus; et praeside sacerdote illic extante, ab Rege ipso solemni diplomate, et non ex presbyterorum trivio adscito, ac muneris perpetuitate obfirmato; quod magis magisque praesumptionem eamdem, et sanctionem De Ciocchis enervat? Ecclesia igitur sancti Joannis suffraganea nunquam Sanctissimae Trinitatis ecclesiae, sed tantum hujus ecclesiae priori ab anno MDCCXLI, ad annum MDCCCLXXXVI, hoc solo temporis articulo, absque dubio aestimanda.

Haec omnia melius clarescunt, si animadvertitur, sanctum Joannem edici in memorato syngrapho non ecclesiae, sed commendae Mansionis obnoxium. En: « Regolamento per lo servizio interno della chiesa della SSma Trinità della Real commenda Costantiniana della Magione in Palermo, o di quella di san Giovanni dei leprosi, *che ne dipende*; *(pag.10)* » ubi illud *ne* pronomen relativum italicum viciniori commendae concordat. Idem imo apertius in mose electionis diplomate edicitur: « prevenendola, di essersene passato il corrispondente avviso al delegato pel temporale della commenda Costantiniana, di cui fa parte la detta chiesa. *(pag. 16)* » Si secus ab aliquibus enunciatum, atque in vulgus sparsum, id vel certae veteri inscitiae, sed bona fide, vel retro ab hinc annis hominibus peculiaribus, quorum propium est humana pati, tribuendum. Hae in re igitur juris, et facti ratio militant adamussim.

Quomodo ergo nunc joanniticus praeses, sive ut dicitur capellanus, suffraganeus certo quodam sensu Sanctissimae Trinitatis Mansionis rectori subjacet? Quia Rex Magnus Magister syngraphum de quo supra, pro sua sapientia approbavit, ubi jure recentiori cautum, quod rector chartas omnes se vidisse inscribat, etiam ad sancti Joannis homines, atque ecclesiam spectantes, quae rem administrativam respiciunt, idemque rector possit annuatim circa hujusmodi homines, num in officio sese continuerint, ad Magnum Priorem, quae in Domino judicaverit referre. Idea suffraganei non aliunde in jure canonico desumenda, quam ab episcopis, qui etsi metropo-

Digitized by Google

litano aliquibus in casibus, et sane paucissimis, ab Tridentina synodo assignatis, obnoxii, liberi tamen partes episcopalis officii in propia dioecesi, absque ambagibus, exercent. Verum enim vero ad hoc facit argumentum id, quod in Magni Prioris litteris, ad me datis, mihi hisce verbis iudicitur: « Si ponga nell' esercizio dell'officio indicato, e colla dottrina, di che è fornita, e più colla sua esemplare condotta, voglia, di che son certo, reggero la chiesa indicata *(pag. 16)* » Regere supponit hominem in iis omnibus, quae muneris sui sunt, activum operosumque, ac minime quidem brachium, ut ita dicam, alteri mancipatum. Quare sancti Joannis praeses illic vere caput, sua praeditus regendi auctoritate, et potissimum ex Magni Prioris verbis censendus, quamvis Regia veneranda prescriptione, cui omnino parendum, rectori Mansionis duobus in adminiculis tantum, ut innui, modo subiectus, sive suffragsneus aestimandus. Ad quid dehinc tantae molis regia diplomata, et Magni Prioris, administrorumque constantinianorum litterae in hoc eligendo ecclesiae sancti Joannis, qui adhuc vocatur capellanus, veluti ejusdem ecclesiae praeside; ad quid etiam illi possessio vere canonica, et ritu a possessione parochorum non dissimilis, eidem solemniter collata, si talis capellanus tantum presidis praesentia constaret? Quae rectoris potestas vide supra. *(pag. 6)*

Dum jus a me adhuc modeste, at non omnino exenteratum, actibus expeditoribus bujus mei muneris, licet suffraganei, favet; dum quodvis jus nativa sua appetitione justitiam sibi tribui reverenter expostulat; et bona in hoc ipso alia demostranda exurgunt. Etenim praeses, qualicumque doctrina, voluntate recta, moribusque, Deo adjuvante, probatus, cum solutior in suo officio procedat, penitiori industria, studio et amore, quae suae ecclesiae sunt, procurare potis est. Id omne ingenuis, honestisque dandum. At ex hoc ipso quantum ipsi ecclesiae in re sive divina, sive humana augumentum, utpote compedo non vinctum, adveniet? Caeterum pulchior dignitas ordinis Constantiniani extollitur, quod Panormi duae ejusdem ordinis ecclesiae, et sanctus Joannes, et Sanctissima Trinitas Mansionis sua unaquaeque virtute, veluti duo micantia culmina, consistant; quod evanesceret, si primam antiquiorem, et magis Regiam alteri veluti in unum impexam obtenderent.

Ex dictis quid erui debeat, unusquisque sapiens, et rectus animadvertit. Sartum tamen tectumque sit, debere sanctum Joannem meum multis fraternitatis tantum, et benevolentiae significationibus clero Mansionis copulari, sicut membra ejusdem praestantissimae commendae decet, remanens tamen ex duabus hisce ecclesiis unusquisque in jure suo, quod a supremo legislatore babet. Sartum etiam tectumque sit ex voluntate Regia, semper veneranda, quod sancti Joannis ecclesia magnae Mansionis Constantiniane commendae filialis, et suffraganea utique subjiciatur; nam ab ipsa commenda pecunia sustentatur, eique, ut membrum, sex ab hinc saeculis adhae-

Digitized by Google

ret. Igitur et Mansionis administrationi, ejusdemque moderatoribus rebus in temporalibus me velle etiam atque etiam sanctum Joannem hunc meum, meque ipsum obnoxium profiteor. Quid autem pro temporale, quid pro spirituale, quod ad Magnum Priorem, Rege jubente, pertinet, intelligendum probe, desideratur ad quaestiones, quae enasci possunt, compescendas, ut nitida et docta elucubratione extricetur. Haetenus quae pro veritate, pro dignitate Constantiniana, et pro mei ac posterorum meorum munere disputavi, ea judicio rectissimo, aequitati, ac comitati generosissimi moderni rectoris subjicio; cui in vivis agenti, ob ejus episcopalem excellentiam, praeclarissimasque virtutes, ac in me pusillum bonam mentem, quocumque jure meo obsistente, me velle parere singulatim et omnino, ut hactenus tamquam lubens filius praestiti, non detrecto. At potissimum Regis mei Magni Magistri mandatis, votisque omnibus obedire ex conscentia, ac totis medullis, Deo adjuvante, conabor: quoniam potestas omnis cum a Deo creatore nostro, et domino supremo oriatur, majestatem ejus divinam in saeculi hujus potestatibus, quas secundas potestates a viee Dei sacra Tertullianus vocat, observare, et colere bene est. Hujusmodi obedientia, ex relligione parta, societatis cujuscumque compages, et felix prosperitas, una potest hac tempestate homines, et maxime italos reddere incolumes a perduellionibus atheis, qui a putre Diabolo superbissimo, et Deo semper obsistenti cum sint, atque afflati, quemcumque mortalium ab imperio etiam aequissimo omnium potestatum, ecclesiae, atque ipsius Dei avellere furiunt. Ex hoc mala ingentia, quae nuper experti sumus, quae nulla unquam vidit aetas. Sed ut ad propositum redeamus; si libertatis Constantinianae, atque ipsius reverendissimi rectoris Benso juribus in tuendis, ab equitibus Constantinianis adaetus, multam mihi olim, in humanis archiepiscopo cardinali Pignatelli agente, conflavi invidiam, nil mirum, si aliquod nunc ecclesiae meae magis quam mihi, pro munere meo brevissime disserendo, possim pro veritate comodum creare. Hoc ab jure ipso naturae unicuique tribuendum, et nemo sapiens aequi boniqne facere recusabit. Quae omnia in Dei optimi Maximi, ac Regis nostri augusti, at merentissimi gloriam bene vertant.

DE DEDICATIONE

Basilicarum sanctorum Petri, et Pauli Romae,

I.

Constantinus, qui et Constantinianae militiae sub labaro primus conditor, et Magnus Magister, ut sarcophagos principum apostolorum Petri, et Pauli redderet honoratio-

Digitized by Google

res, illos duabus a se aedificatis basilicis conclusit. Eorum altera, Petro sacra, Vaticana, ex loco ubi extructa, vel Petri confessio a prima ætate passim nuncupata est. Hanc ferunt sanctum Silvestrum papam consecrasse, seu dedicatione extulisse; quae solo jam propter vetustatem cum videretur æquanda, ac nihilo secius a romanis pontificibus refecta; tandem postremis hisce saeculis fere immensam, ipsorum pontificum, ac maxime Julii II, et Leonis X studio, et cura in molem axerescens, tandem omnibus numeris in princeps catholicae Religionis templum absoluta, dedicationis sanctitate ab Urbano VIII anno MDCXXVI aucta est. Altera divi Pauli, quae via hostiensi parva primum a magno Constantino excitata, atque a praedicto sancto Silvestro etiam crismate sancto delinita, abolita eum fuisset, illam Valentinianus imperator ipsa via hostiensi, intervallo non longe dissito, majoris amplitudinis aedificio subrogavit, quam Honorius itidem imperator absolvit. Dehinc sanctus Leo magnus hanc paulinam secundum basilicam majori arcu, ingentibus columnis procubente, suffulsit, sacrisque picturis de musivo exornavit. Sed satius est de hac basilica verba quaedam audire potentioris sermonis, quem Pius IX, hac nostra labente tempestate pientissimus, ac sapientissimus Pontifex noster optimus maximus, intra illius parietes nuper proferre congavisus est.

« Merito atque optimo iure omnes catholici orbis gentes gloriatae sunt, hoc templum summa veneratione prosequi, quod a Constantino primum fuit extructum, ac deinde a Valentiniano, Theodosio, Arcadio, et Honorio imperatoribus vario opere refectum, et a romanis pontificibus decessoribus nostris assidua semper cura, maximisque sumptibus tam splendide, tamque magnifice instauratum, ornatum, ac ditatum, ut mirum pretii, amplitudinis, et artis opus ab omnibus haberetur. Hinc ubi cum summo hujus urbis, omniumque catholicorum dolore vetustissima haec ædes, pulcherrimumque pietatis, et magnificentiae monumentum subito incendio conflagravit, ac flammarum vis paene omnia consumpsit, prædecessores nostri Leo XII, Pius VIII, et Gregorius XVI, pro eximio suo in sanctum Apostolum affectu, nihil potius habuere, quam intentissimo studio animum ad tantas reparandas ruinas assidue convertere. Nullis iccirco neque curis, neque consiliis, neque impendiis sibi unquam parcendum esse censuere, ac immensam prope pecuniæ vim, ex pontificio aerario depromptam, in novam templi aedificationem erogarunt, et omnium fidelium pietatem ad offerenda ultro donaria excitarunt, ut omnibus artis, et industriae comparatis subsidiis, novum templum majori, quo fieri posset, splendore assurgeret, atque fulgeret. Ex quo evenit, ut laudatus prædecessor noster Gregorius XVI non levi animi sui gaudio videns externos utriusque lateris muros in anteriore novi templi parte extructos, omnesque columnas erectas, ac trasversum eiusdem templi latus una cum abside omnino confectum, potuerit, quemadmodum vehementer cupiebat, altare maximum consecrare.

Nos autem vix dum inscrutabili Dei iudicio, licet immerentes, ad sublimem Petri cathedram evecti fuimus, tantorum prædecessorum exempla æmulantes, ac pari in apostolum Paulum pietate impulsi, inter gravissimas apostolici ministerii sollecitudines, ac tristissimas rerum vices, nihil certe intentatum reliquimus, ut ea omnia perficerentur, quibus templum idem omni ex parte plane absolutum, ornatumque existeret.

Cum igitur Deo bene juvante nostræ curæ optatum exitum obtinuerint, ac res omnes eo deductae sint, ut solenni ritu templum idem consacrare possimus, tum summa animi nostri consolatione id, vobis omnibus adsistentibus, venerabiles fratres, hodie praestare gaudemus. »

Hæc Pius IX. Monet deinde bonus, et omni amore dignus pontifex fideles, ut meminerint, quando pedem, in hoc templum inferrent, meditari, quod in eo majestas Christi Jesu extollitur, quod in eo homines a quavis culpa mundantur, et vitae pane reficiuntur, quod in eo poena scelerum relaxantur, salutis monitis imbuuntur, votisque, ac precibus omnium Deus misericors adest, annuitque. Meminerint etiam rogare apostolum Paulum, ut, ipsius apud Altissimum suffragio nimis valido, in pace nunc undequaque pessundata, ecclesia Dei, et societas civilis tandem conquiescat, populi et nationes in fidei unitatem, in Christi agnitionem, uno eodemque charitatis vinculo, coalescant, et quid quid est verum, pudicum, justum, et sanctum ad Deo placendum, ad omne opus bonum exequendum, ad vitam aeternam acquirendam, solertissime perpatrent.

Potremo egomet Constantinum heic calamo repetens addo: eumdem Romae etiam multas ecclesias, extruxisse, in quibus magnificentius seso erexerunt basilica sanctæ crucis in Hjerusalem in agro sessoriano, sancti Laurentii extra muros in agro veranno, sanctorum Petri, et Marcellini via lavicana, aliaeque sane multae. Queis omnibus est quoque factum, quod Constantinus, ejusque ordo ab sancta romana sede de se optime meriti sint continenter æstimati; atque hac de causa ipsa romana sedes Magnum Magistrum, equitesque Constantinianos ita rependeat, ut quando intra prædictas basilicas adstantes habeat, illos majori honore, ac cæteros penes pontificem, afficiat.

DE DEDICATIONE

Basilicae lateranensis Romae.

I.

Basilicam hanc ita lateranensem vocare placuit, quia in aedibus Plautii, et Sextilii laterani aedifica est. Ast aliis pariter nominibus eam per diversa temporum intervalla vocitarunt; nempe Constantinianam, quia Constantinus magnus eam in ingensiorem fabricam, ac

perpolitiorem ornatum coagmentari curavit; sanctissimi Salvatoris, quia Salvatori omnium Jesu Christo praecipue sacra facta fuit, et sancti Joannis ob vicinitatem aedicularum duarum, quae a Sanctis Joanne Baptista, et Joanne Evangelista titulum mutuabant. Hisce in memoriam redactis, nunc de hac percelebri basilica Judicem nostrum praestat audire. « Hanc Vigilius papa anno DLIV nobiliori forma, et picturis, et Zaccarias papa anno DCCLI marmoribus, metallis, et musivo ornaverunt. In hac basilica novem concilia, quatuor scilicet œcumenica, et quinque particularia, quæ lateranensia idcirco appellantur, celebrata sunt. Oecumenica fuerunt primum anno MCXXIII sub Callisto II, secundum anno MCXXXIX sub Innocentio II, tertium anno MCLXXIX sub Alexandro III, et quartum anno MCCXV sub Innocentio III. Particularia sunt primum anno CCCXIII sub Melchiade, secundum anno MII sub Silvestro II, tertium anno MCXII, et quartum anno MCXVI sub eodem Paschali II, et quintum anno MDXVII sub Leone X. Eamdem basilicam incendiis, vastationibus, et terraemotibus disjectam, eversamque, et sedula romanorum pontificum cura reparatam, nova postmodum molitione restitutam, Benedictus XIII die XXXVIII aprilis MDCCXXVI solemniter consecravit, praecepitque, ut dictae consecrationis memoria die IX novembris quotannis ageretur. Agedum, cur hujus basilicæ, atque illarum, de quibus supra fuit mensio, sanctorum Petri, et Pauli dedicationem ubique terrarum in ecclesia catholica solemnem habere omnes jubemur? Ut animo obversetur, catholicos cujuscumque nationis, generis, et linguae sanctae romanae ecclesiae, veluti fundamento, ad unius corporis coagmentationem universam inniti, catholicos ipsos ab eadem ecclesia lucem evangelii, jurisdictionem, vinculumque unitatis, in quo stat, et stabit una coelestis Christi religio, sortiri, atque habere. Hinc unum Romae veritatis religiosae tribunal, quo erroris cujuscumque caput indeclinabiliter minuitur, et veritas sancta una omne per aevum consistit, atque in omnem mundi plagam diffunditur. Vide ad qualem discerptionem, pudore plenam, redactae sunt sectae ab hac unitate, sua superbia, et damno, avulsæ. Imo in quales non incidunt calamitates, ferinosque mores, ut nuper per tantam malorum colluviem vidimus experti, qui ab hac sanctae romanae sedis compage se, et miseros populos animo subdolo, ingratissimo, et nequam eradicare conati sunt. Rogamus heu! Dominum omnipotentem per Jesu Christi potissimum, et Virginis immaculatae merita, ut animus noster, cor, atque opera nunquam ab hac unitate in Petri romana sede, ne miserrimi evadamus, deficiant. Hoc ipsum pro quibusdam ab ultra italis rogamus, qui cum videntes non videant unicum Italiae decus, columen, et tutamen semper undequaque a romanis pontificibus promanasse, et promanare, nunc eisdem pontificibus Jesu Christi vicariis impudenter contraire, protestantico anglorum afflatu, qui est miseriarum omnium animae colluvies, perciti, coeci, et coecorum ductores vesano gaudio gestiunt, atque obfirmantur.

DE DIE
ANNIVERSARIA ASSUMPTIONIS
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
PII PAPÆ IX.

I

De re tempus est pertractare, nempe de romani pontificis, Jesu Christi vicarii, assumptione, quam catholicus unusquisque debet in oculis lubentissime ferre. Ejusdem solemnitas anniversaria ab prisco aevo sanctiore in ecclesia Dei ad nostram usque aetatem prolapsa est. Atque editum dehinc decretum a Felice papa IV *in can. 16, et 17 distinct. 1* relatum: *quod solemnitates dedicationum ecclesiarum, episcoporum, et sacerdotum per singulos annos solemniter sunt celebrandæ*. Ecclesia id, ast meliori ratione ab consuetudine, qua veteres romani cives diem natalem quotannis festive recolebant, mutuata est. Pontifex Felix IV saeculo sexto, etenim anno DXXX demortuus, floruit. Verum de solemnitatibus dedicationum pontificum romanorum, neque adest, neque adesse ullum decretum fas erat; cum de maxima in terris potestate agitur, quæ abunde hoc in negotio, sibi ab omnibus catholicis vindicat reverentiam, ac sibi ipsi eorum animos potenter devincit. Unde nedum romana ecclesia, sed universus orbis christianus videbatur exposcere, ut assumptio pontificis sui, in quo fulcitur religionis, et salutis petra, ac fundamentum, veluti natalis dies pontificalis, festivitate plurima quotannis ubique terrarum honestaretur. Huic concelebrationi romani pontifices libenter pro Petri honore acquiescebant; de quo testis est sanctus Leo papa, qui plures, annis subcesivis, suae assumptionis die solemni, conciones ad romanum populum habuit.

Attamen etiam episcoporum, et sacerdotum dedicationem, sive inaugurationem annuam recolere, ex praescripto ecclesiastico, opus erat. Cur autem hoc studio tam nimia satagere ecclesia videbatur? Ut, quando episcoporum anniversaria solemnitas ageretur, doceret ecclesia, quod successio apostolica eminentiorum sacerdotum neque umquam defecerat, neque esset defectura; quod Spiritus Sanctus, idem quovis saeculo, sicut olim posuit, ita ponet usque ad mundi vastationem, tartaro frustra debaccante, episcopos ad Dei ipsam ecclesiam sustendandam, regendamque; quodque in memoriam revocarent fideles, se veluti gregem adstringi ad vocem sanctorum pastorum audiendam, ad eorum ductiones humil-

lime, atque obedientor sectandas. Circa sacerdotum annuam inaugurationem, ut eos moneret ecclesia illorum praeclarissimae dignitatis, officiique, humeris angelicis etiam formidandi, queis veluti calcaribus vitam coelo plenam, et charitate in Deum, ac proximos ignitam, componerent. Mos tamen hujus anniversariae sacerdotum commemorationis, quamvis abolitus modo sit, quis prohibet, ut unusquisque sacerdos quovis anno die, quo sacerdotio initiatus, multa prece, gratiarum actione, et vitae suae nitentiori perpolitione se colligat? Quare concilium mediolanense III edidit: *sacerdotes vero, quo die eorum unusquisque sacerdotio initiatus est, illum quotannis celebrent missæ sacrificio, et precibus.* Eodem die potest sacerdos pro se collectam in missa sive solemni, sive privata adjicere; qua de re noster Judica audiatur. « Sacerdos in anniversario propiae ordinationis legere potest missam officii currentis, vel sancti principalis patroni, seu titularis ecclesiae, cui ipsemet sacerdos est adscriptus; adjuncta sub unica conclusione cum oratione missae, si solemniter celebretur, collecta pro ipso sacerdote: si vero privatim peragitur, collecta praedicta dicatur ultimo loco post omnes orationes missae. Profecto adjungi valet ejusmodi collecta missis cujusvis festi, etiam primae classis, et solemnissimi, ad instar collectae pro episcopo; quia ex decreto Felicis papae IV ejusdem juris, et solemnitatis definiuntur celebritates episcoporum, et sacerdotum. » Ita Judica noster. *(Explan. liturg. chron. lib. II. p. I. cap. I. pag. 88.)* Magnum quippe si est sacerdotium, quo Deo miserante, licet omnino immeriti, perfungimur, et maximi idem animo, verbis, et factis esset existimandum. Sed pro superi vestram fidem! quam parum in hanc descendimus cogitationem, maxime cum negotiis saecularibus, imo temporum turbolentis vicissitudinibus implicamur, at nostra, non ea quae sunt Christi, huc illuc assentando, et cursitando, studio detestabili, quaerimus? Si religio sancta, et fides aliquibus in regionibus obnubilari, et evanescere hisce perditissimis temporibus videntur, nonne id, et candide fateamur necesse est, nostris moribus quodamodo a pristina sanctitate defatiscentibus, et de divino honore, et gloria conticescentibus, est etiam vitio vertendum? Hac pariter poena Numen offensum solet in populos animadvertere. Ah! nos utique nos ad officia sacrata nostra sacerdotes erigamus, et multas pro nobis, et populis effundamus preces, ni velimus in illorum ab ira Dei perniciem obvolvi.

Sed illuc, quo exorsus est sermo, regrediatur. Multas ingerit significationes festiva pontificis assumptionis ad Petri sedem annua celebratio; quod solidae religioni innitimur, quatenus ea in pontificali petra a Christo ipso insculpta, ac fundata, et suo divino tutamine tecta, recumbit; quod fons, et origo universae jurisdictionis in ecclesiam vivida continenter promanat; quod fides, bonique mores propugnaculo inexpugnabili tuentur; quod Christi ipsius promissiones de illius petrae soliditate, ne hilum ullo umquam tempore evanuerunt, neque evanescent; quod unum adhuc manet ovile, et unus pa-

Digitized by Google

ator; quod regnum universum, omniumque saeculorum quaqueversus in mundo patet; quod tandem ex ipsa pontificis assumptione, universaliter concelebrata, et catholica radicitus ecclesia perseverat.

Pio VI e vivis in exilio erepto, impii, nefario perciti spiritu, blaterabant: nullus amplius papa succedet, papatus extinctus est. Attamen sanctae romanae ecclesiae cardinales mirabili Dei providentia Venetiis ad comitia incolumes coacti, Pium VII tuto, et gratanter consalutarunt. Nuper scelesta hominum colluvies, ingenio, artibusque vaferrimis, ac violentia, Pium IX, ac romanam sedem de medio tollere conabantur. Inauditum hoc a saeculis in Religionem bellum, quando arcem ipsam pontificalem aggredi, Deo sic permittente, potuerunt. At non longe post idem Pius amor, atque occilus sanae mantis hominum, manibus fere omnium Europae nationum veluti erectus, ovans, ac triumphans in suum romanum thronum scandere lætabatur; fugientibus ab illius tergo colubris vesanis, ac sanguine hiantibus, qui latebris impiarum societatum egressi, illum atque ecclesiam Dei devorare desipuerant. Ergo omni quocumque tempore, ut non defecit romanus pontifex, ita numquam divini ope promissi deficiet. Decet catholicos universos, et potissimum sacerdotes, romanum pontificem devotione plurima prosequi. Hoc penitiorum catholicorum insigne constituit. Nullus sanctorum romano pontifici intime, ac totis medullis non addictus. Quare facessant a nobis doctrinae illae, quae sub ementita specie boni, attamen a novatoribus, impiisque conficta, illius auctoritatem, et reverentiam enervare pertentant.

II.

Pius IX, dictus antea Joannes Maria Mastai, supremus ecclesiae universae episcopus, hierarcha, pastor, et fidelium omnium in Christo pastor, et comunis pater, ad pontificalem cathedram die XVI junii anno MDCCCXLVI, concordibus, rapidis, et gestientibus cardinalium suffragiis a principe pastorum Christo evectus est. Non homo novus tantam sortitus est dignitatem, etenim Sinigalliae die XIII maji anno MDCCLXXXXII nobili loco natus, ac quam perbelle bonis moribus, litteris, scientiisque, qua saecularibus, qua sacris, sub patrui praesulis Pauli Mastai tutela, erudiri et lubentissime passus est. Romam juvenis petiit, ubi sancti Ignatii commentationibus, quibus se ipsum dedit excolendum, perpolitus, illam ex eis pietatis magnitudinem, Christi bonum halitum, ac Spiritus Sancti dulcedinem quamdam, unde tunc probe commendatus, et modo eminet, perquam cumulatissime hausit. Missus inde Chilium in Americam, ut socius vicarium apostolicum Joannem Muzzi consilio, atque opera adjuvaret; Leo XII cum ei in mandatis dedisset, ut Romam remearet, ibi eumdem Hospitio Sancti Michaelis ad ripam praesidem sufficit. Anno MDCCCXXVII archiepiscopus spoletensis stetit usque ad annum

MDCCCXXXII, quando ad episcopatum celebriorem imolensem fuit traductus. Hinc anno labente MDCCCXL sanctæ romanæ ecclesiæ cardinalis inauguratus ab Gregorio XVI, ut, quod tunc divino decernebatur consilio, paucos post annos pontifex fieret, illique feliciter succederet. Plurima religione, animo ingenioso, atque eleganti, ac praegrandi humanitate, et misericordia vir in tantum, ut in suae assumptionis laetitiam jusserit, fere omnes, propter perduellionis in rempublicam scellera, captivos, e custodiis, ac turribus eductos, libertate omnino esse donaots. At isti semper malarum artium homines, atque avernaliter subdoli, non allam grati animi gratiam optimo benefactori pontifici rependerunt, quam illum injuriis atrocioribus lacessere, ad incitas redigere, atque exulare coactum, dominatu temporali per summum nefas, in eorum potius ludibrium exauctorare.

Nullus solidior, sanctiorque hoc dominatu, qui ab adnitentibus imperatoribus, ab populis consensientibus imo plaudentibus, ab ponticalibus in orbem meritis, ab possessionibus, qua pontificibus dono legatis, qua ab ipsis pecunia numerata, vel legitimo jure belli acquisitis, exordium habuit, et per amplius mille, et centum quatuor annos tuto, et pacifice crevit, atque ad haec usque tempora, *tamquam lignum, quod plantutum est secus decursus aquarum* sese vitaliter extulit. Id autem divino numine, et providentia factum est. Etenim pontifex a Christo auctoritate firmatus, ut animis omnium judex supremus veritatis, absque invidia, doctrinam sanctam ingereret, ac morum leges imponeret, ab alieno imperio vacuus extollatur necesse est. Hoc ipsum secum probe reputans Constantinus, ut religioni, qua initiatus, faceret satis, ab occidente in orientem facessere arbitratus est; pontifici Romam quadamodo liberam relinquens. Attamen jura haec omnia maxime augusta, et veneranda nebulones Romae anno MDCCCXLIX debaccantes, ut suae libidini, et feritati indulgerent, proterere ore protervo, et vi tartarea non erubuerunt. Quid igitur? Injustissimos, dum justitiam undequaque crepabant, ita se ante conspectum saeculorum prodidere. At quibus legitimis tabulis, rationum momentis atque pacato examine, si hoc liceret, Pium IX ab dominatu deturbarunt? Nullis horum certe, sed tantum dolo, et conclamationibus vesanis; unde scelestiorum orbis hominum sibi ipsis ita calculum inscripserunt. Attamen a queis, potestate supra pontificem regem praestantibus, hoc tantum facimus illis mandatum? Effutiebant a natione. Procul hinc abite mendaces. Natio tunc devincta, obstupefacta, ac tremens prostrabat. Dicam ego perpaucis: mandatum illud a tenebricosis sectis, diabolo jurejurando devotis, venenum, et sanguinem spirantibus, acceperunt. In his per effrontem calliditatem nationis nomen, et natio. Quare in Pontifice exauctorando, ut a cacodaemone exagitati, et diabolici corruerunt. Verum enim vero id miseri effecerunt, quod mures, qui leonem regem a solio dejicere pertentarunt. Quare ridiculi tales pontificis hostes, in pontificem ipsum optimum maximum irrumpentes, etiam evaserunt, atque in cogitationibus suis e-

Digitized by Google

vanuerunt. Divinae tamen omnipotentiae, et promissis quis resistet? et ad pontificalem petram, Deo semper illam tutante, nonne non est necesse, ut fluctus feri maris confrigantur?

Id evenit, et eveniet; mundo semper obstupescente, catholicisque omnibus congaudentibus, et suae ab coelo fidei hilari corde plaudentibus. Quibus in animi religiosis oblectamentis pro romano pontifice ordo constantinianus, utpote illi summopere addictus, se vinci ab aliis nunquam patietur. Quid? ad pontificem ipsum libertate erigendum ordo iste arma non contulit sui Magni Magistri ope, nempe regis potentissimi Ferdinandi II; quando hic unus ex regibus Romam, ducto exercitu, ad rebelles ab ea civitate exturbandos, ad pontificale Pii IX solium restaurandum, se se viriliter, et religiosissime contulit? Quas utique grates ecclesia catholica Ferdinando regi nostro, ordinique constantiniano rependere in aevum non debet? Summus pontifex ipse Pius gratissimo animo in regem nostrum exaestuans, illum in brevi, *maxima, et praeclarissima*, die XVII julii anni MDCCCLI exarato, dum ordinis constantiniani Magnum Magistrum solemniter compellat, atque ideo confirmat, ita dulciter alloquitur: « maxima, et plaeclarissima regiae majestatis tuae erga nos merita, et egregii, ac singulares christianae religionis, et pietatis sensus, aliaequae eximiae, quibus refulges, virtutes, ita praecipuam paterni nostri animi benevolentiam in te excitarunt, ut non mediocrem certo experiamur jucunditatem, cum ea peragere possumus, quae tibi, carissime in Christo fili noster, grata esse cognovimus ».

Verum superius dicta repetens ego, angebar dum illa aegerrima, atque infelicissima tempora ruerent, quod aliqui, caetaroquin non mali bona fide, cohortis nefariæ fraude non detecta, vel sectatores nebulonum perduellium romanorum, acquiescerent verbis, imo deliramentis contra bonum, sanctumque pontificem; nec ullo animi mœrore ejusdem sanctissimi patris nostri vicem dolerent, neque pro ecclesia solliciti immorarentur; quando, pro Petro, olim in carcere detento, orationes ab omnibus christicolis non intermisse fiebant. Nunc vero in felicius omen, successumque tanta rerum pessima farragine, Deo opitulante, conversa, Pius IX dulcissimus pontifex noster in Petri arce nitentior virtutibus praeclarissimis ab eo exantlatis, et pulchriore majestate praefulget. Dies ejus assumptionis in dioecesi panormitana ad XVI junii solemniter peragitur. Quando dies haec illucescit quotannis, animum ad multam in pontificem nostrum religionem inclinantes, rogamus Dominum nostrum Jesum Christum, per merita, atque adjutorium beatissimae Virginis Mariae, cujus conceptum, omni labe vacuum, ipse Pius nuper dogmatica definitione proclamavit, ut dignaretur, per Virginem ipsam, talem suum vicarium praestantissimum incolumen ab impiorum manu in multos annos nobis tutari, et servare, eumdemque potentiori afflatu, et vi, ad bene in tantis hostium insidiis, et constibus ecclesiam Dei regendam, roborare, usque ad illius, nostrorumque omnium in coelis sanctam, beatissimamque consumationem.

Digitized by Google

DE FESTIVA COMMEMORATIONE
REGIS NOSTRI FERDINANDI II.

ORDINIS CONSTANTINIANI MAGNI MAGISTRI

Die, qua is ad imperium evectus

I.

Quando Magnum constantinianum Magistrum dicimus, non modo regem augustum potentissimum, qui est hodie Ferdinandus II, utriusque Siciliæ rex, sed Constantini magni, militiæ auratæ constantinianæ auctoris, successorem indicamus. Noruot omnes, a multis auctoribus, et a nobis demonstratum, Constantinum, postquam ei de coelo crux mirabiliter praefulsit, vexillum cruce, et nomine Christi insignitum, ante legiones, vel in castris erectum voluisse; quo de Maxentio tyranno, imo de omnibus suis hostibus, victorias continenter reportavit; ac labarum illud cum nuncupasset, quinquaginta suis selectioribus militibus custodiendum tradidisse. Hoc in negotio magnus ille imperator morem romanum, at cælitus meliore ratione, persecutus, nam signa a romanis idololatria sacra, et numine quodam plena habebantur, unde illud in marmore titulus Tiburi repertus: *ignotos ante, aut infensos pop. rom. reges, signa romana adoraturos, in ripam, quam tuebantur, perduxit.* Itaque eadem signa in labaro ad christianam cogitationem, ad celsitudinem unius veri numinis, atque ad omnipotentiam tutioris coelestis auxilii evexit. Robur reipublicae apud romanos in numinibus per signa; hinc ejusdem reipublicae robur in vero Christo Deo per sanctius labarum. En igitur hoc facto ideae paganae per Constantinum in ideam christianam prima a fundamentis conversio, ex quo propter labarum imperium romanum primitus caepit esse christianum. Magnum igitur aliquid tum militia constantiniana, tum ejus Magnus Magister portendunt. Quare e re duco heic de privilegiis, quibus illa, et alter ornantur, aliqua ex Justiniano italica, prout jacent, transcribere. Monendus tamen lector in antecessum, non perbelle veritati quadrare, quod sanctus Silvester, et sanctus Leo romani pontifices, sicut innuit ipse Justinianus, ordinem constantinianum, veluti sacram militiam rite, et publice approbaverint, quia hoc posterioribus temporibus ecclesia in usu habuit; quamvis ego non abnuo, pontifices illos quinquaginta electis a Constantino ad labarum militibus calculum quemdam consensus, vel benedictionis addidisse. De hac re etiam pertractavi ex professo adnotationibus meis ad ordinem Constantinianum in *notizie*, e *collezioni* duobus in libellis,

Digitized by Google

ad quos lectorem remitto. Hisce positis, en a praedicto Justiniano de militiae constantinianae privilegiis.

« Ottenne quest' ordine sacro molti privilegj imperiali, bolle, brevi, motuproprj, e fulminatorj pontificj, dopo della confirmazione di san Silvestro nella persona dell' invincibile Costantino, e suoi discendenti. Ce lo attestano prima le lettere del santo pontefice Leone I. 456, dirette a Marziano augusto in favore di Alessio Angelo, allora Gran Maestro, il privilegio di Leone imperatore, concesso l' anno 489 ad Alessio, e Michele padre, e figliuolo Angeli principi di Cilicia, e Macedonia, quello d'Isacio Angelo Flavio Comneno imperatore 1191 in Alessio suo figliuolo, e successori: da' quali rimase riformata, e ristaurata questa milizia. Volle pure Michele imperatore Paleologo, dopo aver occupato l' Imperio degl' Angeli Flavj, approvare in essi l' esercizio di tale sovrana facoltà, come ad essi, e successori legittimamente spettante; onde la confirmò co' replicati privilegj 1293, e 1294, poco prima della sua morte, nelle persone di Michele, ed Andrea padre, e figliuolo Angeli Flavj, discendenti dall' invitto Cesare Isacio.

« Concorse medesimamente Paolo III. sommo pontefice con motuproprj; *cum sicut accepimus, et cum prædecessores nostri*, ed altrove; *cum sicut accepimus*, e replicate bolle susseguenti nel 1540, 1545, concesse a pro de' privilegj, e facoltà suddette nelle persone di Paolo, ed Andrea fratelli Angeli Flavj Comneni, confirmando a loro favore le approvazioni, e bolle di Callisto III, Pio II, Sisto IV, Innocenzio VII, ed altri romani pontefici, fulminando rigorosa scomunica contro dei perturbatori, di chi volesse ostare all' esercizio delle loro dignità, facoltà, e privilegj. Approvò le premarrate concessioni Giulio III pontefice con suoi motuproprj; *cum sicut accepimus, et cum prædecessores nostri*, bolla 1550, breve 1551, ed altra bolla 1551, in Andrea, e Girolamo Angelo Flavio, principi di Tessaglia, Gran Maestri di detta milizia, eredi, e successori della serenissima casa Angela Flavia Comnena. Come pure Paolo IV Sommo pontefice con bolla 1555, e Pio IV con motuproprio rilevato 1564, e nella bolla 1565. Pio V, con altra bolla, in vigor della quale sono li cavalieri costantiniani di san Giorgio capaci de' beneficj ecclesiastici, anco con cura, tutto nella persona di Girolamo Angelo principe suddetto di felice memoria, e di lui eredi successori. Rimasero confermati, e convalidati per l' eminentissimo Alessandro cardinal Riario auditore del papa con tre suoi fulminatorj, sotto il ponteficato di Gregorio XII; indi con un motuproprio, *cum sicut accepimus*, di Sisto V. sommo pontefice; per decreto della sacra congregazione del sant' officio 1576, con la quale fu confirmata la capacità de' beneficj ecclesiastici, anco con cura nelli medesimi cavalieri di san Giorgio.

« Cedula reale dell' invitto D. Filippo II monarca delle Spagne; decreto del consiglio de-

gli ordini, che commette l'uso dei privilegj nella Spagna; dopo de' quali una sentenza dell'auditore 1591, a favore di D. Pietro Angelo Flavio Comneno principe di Cilicia, contro Gio. Giorgio della Ceffalonia falsario; altra detta 1594, a favore di D.Gio. Andrea Angelo Flavio Comneno principe di Macedonia contro al detto Gio. Giorgio. Un'altra cedula di Filippo II. monarca delle Spagne 1595, in Gio. Andrea Angelo principe suddetto: altre due sentenze dell' auditore in Roma 1597, in favor di detto principe Gio. Andrea, contro Nicolò d' Alessio falso cernovichio, e monitorio 1603 di papa Clemente VIII, in favor d' esso principe, e sua santa milizia. Dopo delle quali tutte conferme apostoliche, seguì sentenza in contradittorio nell' eccelsa ruota 1623. Cedule reali diverse 1627, di sua Maestà Cattolica, e 1630; decreto del consiglio degl' ordini, ed altre cedule reali nell' anno medesimo 1630, e breve d' Urbano VIII a pro degli stessi privilegj, ed ordine equestre aureate costantiniano di san Giorgio, ad istanza del principe suddetto. Egli pria di passare all' altra vita, lasciò questa milizia convalidata con un privilegio di Ferdinando II. imperatore 1630, concesso nella dieta di Ratisbona. A questo successe legittimo erede de' titoli, dignità ec. D. Angelo Maria Angelo Flavio Comneno, *jure sanguinis* per ereditaria azione, e genitura, Cesare Flavio Augusto principe di Macedonia, duca, e conte di Drivasto, e Durazzo sovrano signore, e Gran Maestro di quest' ordine, e religione, non soggetto a principe veruno; nella di cui persona, eredi, e legittimi successori con monitorio pontificio d' Alessandro VII fu confermata nel 1665, l' abbattuta grandezza. A questa riguardando con occhio clemento l' invitto Ferdinando Maria duca dell' una, e l' altra Baviera, elettore del S. R. I. ec. volle soccorrerla con amplo diploma di sovrano protettore nel 1667, per indi tutti darne più evidenti gl' effetti d' una religiosa, e magnanima inclinazione alla risorta di quest' ordine, e famiglia.

« Così parimente la serenissima republica veneta con dispaccio del collegio eccellentissimo de' XX savj del corpo del senato 6 marzo 1671, confermò nello stesso D. Angelo Maria tutte le avite prerogative, e grandezze. Dopo di questo il gloriosissimo Cesare Leopoldo imperatore augustissimo dei romani, con speciosissima rinnovazione l' anno medesimo 25 giugno, grande imitatore dell' avo Ferdinando II, diede contrassegni di cordiale patrocinio in favore dell' ordine, e Gran Maestro medesimo; e la santità di nostro signore Clemente X sommo pontefice con suo monitorio, e breve di protezione nell' anno stesso, confirmò tutti li privilegj del Gran Maestro, e cavalieri costantiniani, del qual ordine imperiale nominò protettore in Roma il cardinale De' massimi. Ultimamente sostenendo il supremo magistrato il principe D. Girolamo Angelo Flavio, l' invitto re di Polonia confirmò tutti i privilegj dell' ordine, e commettendo l' uso de' medesimi nel di lui regno; con espressioni d' aver riportata la vittoria di Vienna coll' invocazione di questa santa croce. Amò pure la santità di

Digitized by Google

nostro signore Innocenzio XI vedere preservato così degne prerogative in questa serenissima casa, e specialmente nel principe D. Gio. Andrea Angelo Flavio Comneno regnante Gran Maestro, assegnandogli anco per protettori della casa, ed ordine in Roma li cardinali cavalieri, e astali con brevi pontificj. » *(Bernardo Giustiniano, storia di tutti gli ordini militari, e cavallereschi. Parte I. pag. 30 e 31.)* Paucula nunc ab eodem auctore de Magni Magistri privilegiis.

« Non si restringe però l' augusta dignità della serenissima casa Angela Flavia Comneno nel solo magistrato de' cavalieri angelici costantiniani di san Giorgio; ma per diritto ereditario, e per li suddetti privilegj, e bolle tiene con suoi discendenti facoltà di concedere li titoli di principi, duchi, conti, baroni, ec. crear cavalieri aureati, o di sprone d'oro, onde la religione si chiama ancora aureata; faro notari, scrivani; laurear dottori, e poeti; legittimare bastardi, spurj, e nati d' incestuoso coito, ed a loro, come a qual si sia infamato, abolire la nota d' infamia. Tengono pure facoltà di sigillare i loro diplomi in oro, argento, piombo, cera, ed in ogni altra forma; coniare, e battere monete d'oro, argento, e metallo, con altre immunità, privilegj, ed innumerabili esenzioni. Essendo dichiarati tutti li sucessori di detta serenissima casa perpetui commensali de' sommi pontefici; riconosciuti sempre dalla chiesa per suoi benefattori, e fondatori, come eredi di Costantino il magno, delle basiliche del Vaticano, Laterano, san Paolo, santa Croce, sant' Agnese, san Marcellino, santi Pietro e Paolo, e di altre religiose moli costantiniane. *(Giustiniano ut supra pag. 31.)*

II.

Adde superius enucleatis cumulatiora privilegia, quibus ordinem hunc, et Magnum ejus Magistrum Clemens XI, et ipse olim constantinianus, atque ordinis ejusdem sedulus protector, in sua perceiebri bulla *militantis* anni MDCCXXVIII ornavit. Ordinem utique Constantinianum Clemens omni penitus exemptione activa ab omni aliena ecclesiastica auctoritate, alque hoc verbis amplissimis, et plenissimis, numquam taliter a romanis pontificibus prolatis, donavit. Magnum vero Magistrum constantinianum *ordinarium* absolute, cum plena in suam hanc sacram militiam jurisdictione spirituali,et participem omnium privilegiorum, quibus alii aliarum militiarum magistri gaudent, idem pontifex reddidit, et proclamavit. De his plura ego usque adhuc variis in opellis meis labore plurimo scripsi, quas lector, si ei arridet, poterit perlustrare. Magnum Magisterium Constantinianum ex Comnenis graecis in duces Parmae Farnenses translatum est; ex quibus nostri reges jure sanguinis, utpote stirpe fœminea Farnenses, mutuati sunt. Rex igitur noster Ferdinandus II habendus, quia Magnus Constantinianus Magister, veluti ordinis episcopus, aut patriarcha, et sanctae romanae ecclesiae, utpote Magisterio antiquitate, nobilitate, et

meritis praestantiori insignis, dux utique ejusdem ecclesiae, ut dicunt, generalissimus. *(Vide de hac re Mendum de ordinibus militaribus, et nostrum libellum de jure sacro patronatus Regis nostri in panormitanam Mansionem).* Hoc postremum maximi momenti est. Jure igitur, et merito facienda est ipsius apud Altissimum commemoratio in omni liturgia sacra, tum extra, tum intra sacrificium, ni ritus lege apposita vetaret. Hoc praescripto nil amplius igitur, cum acciderit, de hac commemoratione ambigendum. Si juxta Paulum sanctum rogare debemus pro omnibus, qui sunt in sublimitate positi, quanto magis rogandum pro eminentioribus viris, inter quos iste noster rex Magnus Magister, quibus religionis bonum, universae catholicae societatis tutamen, et Dei honor maximopere implicantur?

Etiam, et multa prece, et corde pleno rogandum maxime Numen die, quem quotannis recolimus evectionis hujus Regis nostri Ferdinandi II ad avitum utriusque Siciliae thronum, et Magnum Constantinianum Magisterium. Dies haec coepit primum ad IX novembris anno MDCCCXXX inaugurari; unde rex idem enumerat usque adhuc regni, ac ejusdem Magisterii annos XXV: quem Deus omnipotens, et misericors in longius aevum protrhaere, omnium nostrum, ordinis constantiniani, et religionis comodo, annuat lubentissime. Rogandum utique die illa, at votis, quibus ecclesia catholica felicia omnia regibus, quando illos consecrat, ut videre est in pontificali romano, adprecatur. En ejusdem pontificalis romani verba, quae ad rem summopene faciunt. « Omnipotens sempiterne Deus, creator omnium, imperator angelorum, rex regum, et Dominus dominantium .. respice, quaesumus, Domine, ad preces humilitatis nostrae, et super famulum tuum .. benedictionum tuarum dona multiplica, eumque dexterae tuae potentia semper, et ubique circunda, quatenus .. Abrahae fidelitate firmatus, Moysi mansuetudine fretus, Josue fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi in omnibus complaceat, et per tramitem justitiae inoffenso gressu semper incedat; tuae quoque proctectionis galera munitus, et scuto insuperabili jugiter protectus, armisque coelestibus circumdatus, optabilis de hostibus sanctae crucis Christi victoriae triumphum feliciter capiat, terroremque suae potentiae illis inferat, et pacem tibi mibtantibus laetanter reportet. Constitue Domine principatum super humerum ejus, ut sit fortis, justus, fidelis, providus, et indefessus regni hujus, et populi tui gubernator, infedilium expugnator, justitiae cultor, meritorum et demeritorum remunerator, ecclesiae tuae sanctae, et fidei christianae defensor. Deus ad laudem tui nominis gloriosi. Deus inenarrabilis auctor mundi., tu .. insignem regem hunc cum exercitu suo, per intercessionem beatae Mariae semper Virginis, et omnium sanctorum uberi benedictionem locupleta; et in solium regni firma stabilitate connecte: visita eum, sicut visitasti Moysen in rubu, Josue in praelio, et illa cum siderea benedictione, ac sapientiae tuae rore perfunde, quam beatus David in psalterio, et Salomon filius ejus,

te remunerante, percepit de coelo. Sis ei contra acies inimicorum lorica, in adversis galea, in prosperis sapientia, in protectione clypeus sempiternus. Et praesta, ut gentes illi teneant fidem, proceres sui habeant pacem, diligant charitatem, abstineant se a cupiditate, loquantur justitiam, custodiant veritatem, et ita populus iste sub ejus imperio pullulet, coalitus benedictione aeternitatis, ut semper tripudiantes maneant in pace, ac victores. »

En igitur orationis modulus, quo uti possumus die Regis nostri, et Magni Constantiniani Magistri assumptionis, eo efficacior, et verior, quo ab ipsa ecclesia catholica, columna, et firmamento veritatis, effictus. Addendum tamen precationibus enumeratis; ut Deus velit, pro sua misericordia Dominum nostrum augustum, sospitem, et incolumen servare usquequaque ab illis, qui Deum negantes, atque avernali odio prosequentes, quod hac nostra infelicissima tempestate vidimus accidisse, quidquid Deum ipsum repraesentat, odio vesano prosequuntur adeo, ut, juxta sanctum Judam in sua epistola catholica, *dominationem autem spernant*, *majestatem autem blasphement (v. 8.)*. Si omnis potestas a Deo est, si Deus per homines in sublimitate positos, a se et non a populo constitutos, tanquam suos ministros, humanum genus, arcana ratione, at vera, gubernat; catholicum igitur summopere venit, illos ex animo, et religione plurima venerari, eosdemque charitate christiana, precibus indeclinabilibus, apud Altissimum gratiotiores, ac magis invictos, et coelesti regno dignos, quantum fragilitati nostrae pote est, efficere. Quando Salomon inanguratus fuit rex, *cecinerunt buccina, et dixit omnis populus: vivat rex Salomon: et ascendit universa multitudo post eum, et populus canentium tibiis, et laetantium gaudio magno, et insonuit terra a clamore eorum. (Reg. lib. III. c. 1. v. 39. 40.)* Ergo hujusmodi exultationes, et voces, dum catholici sumus, pangere die IX novembris exaltationis Regis nostri, animo, et corpore gestientibus, etiam atque etiam curae sit.

BEATISSIMA VIRGO MARIA

ALEMANNA

Dilectio in Virginem, Dei matrem, summopere Theutonicis cordi fuit. Iidem ab incunabilis religiosæ militiæ, qua anno post Christum natum MCLXXXXI coaluerunt, templum suum primum in Hjerosolimitana civitate Virgini utique sanctissimæ dedicarunt. Hinc lege ab ipsis cautum, ut quodvis eorum templum in orbe aedificaretur in posterum, non a sancto, sed ab ipsa Virgine Maria tantum nomen aucupa-

ret. Quin imo pagum, quem postea in Prusis a fundamentis condiderunt, et sibimetipsis, atque eorum magistro sedem principem constituerunt, a sancta Maria nuncupare illis placuit. *(V. Plac. Sampieri dell' iconologia della B. V. Maria pag. 474.)*

Hanc de causa Theutonici cum anno MCLXXXXVII in Cisterciensium domum, ab eis Mansionem appellatam, Panormi, favore Henrici VI, immigrassent, illius templi titulum Sanctissimæ Trinitatis in titulum beatissimæ Mariæ commutarunt. Ast quia iidem religiosi milites vulgo Alemanni dicebantur, hinc quæcumque eorum Virginis imago apud populum Alemanna pariter audiebat. Quare in nostra panormitana Mansione Maria Alemanna colebatur, et colitur. Cum ordo constantinianus, jubente Ferdinando III Magno Magistro, sibi ipsam Mansionem cooptaret, immorari nullatenus, ad sese in Virginem religioni conformandum debuit, quoniam ipsemet ordo Virginem Mariam non dissimili studio colere solemne habuit. Itaque vexillum constantinianorum quo præeunte, compacti ordine in publicum procedunt, non alio, quam Virginis icone, in ares elato, contexitur. Exempla in matris Dei beatissimæ obsequium, fermo præclarissima, nemini pigeat, pro ingenio et facultate sua, in suos mores referre. Religio in Virginem magni æstimanda est, totisque medullis procuranda. De illa enim agitur, quam Numen singularibus privilegiis magis magisque, ac omnes angelos sanctosque ditavit; quam suam, et nostram matrem cœlesti, et ineffabili amore et misericordia refertam, ac potentissimam constituit, quamque suarum gratiarum omnimodam ministram voluit. De illa utique agitur, quae omni sanctitatis, et virtutum genere, quodamodo immensurabili, praefulsit; quae habuit tum in sua conceptione immaculata, et in omni re sua, ut purior ipsa puritate efflloresceret; quae ad sidera quem vult evehit patens caeli scala, et janua; quae in re qualicumque nostra compendium nobis spei nostrae indicitur. Beatus homo, qui audit vocem ejus, atque intellectum, oscula, vocem, corpusculumque totum ad postes hostii illius praefigit. Beatus qui eamdem satagit, gestitque calamo, et sermone elucidare. Beatus, qui ad pedes ejus, et propter regale pallium ejus conlegitur. Eam, sive Alemanna, seu quovis alio nomine dictam, quod in ejus majorem gloriam cedit, continenter invocemus, rogemus, consulamus, et respiremus omni halitu ad illam. Mariam amore, ut ita dicam perditissimo, voluti filii, servi, et mancipia prosequamur. Omnia nostra illi committere curae sit. Propter eam nihil nobis difficile, asperumque sapiat. Per ejus merita rogamus Christum, et nobis succedet feliciter in anima, in corpore, in vita, in morte atque in aeternitate. Maria ecclesiae catholicae subsidium, columen, tutamen, et pax. Per Mariam maxime immaculatam eja! utique sperandum, quod velit omnipotens Deus nos ab omni peccato, atque irae sue flagello liberare, et vitam nobis vacuam angoribus elargiri.

Mariam Theutonici absque ullo titolo, ideoque omni titulo cumulatam, atque etiam

Digitized by Google

Immaculatam venerabantur. Et re quidem vera mililares sacri ordines plurimi multo studio beatae Virgiuis conceptionem purissimam obsequio, etiam quando haec a praejudicatae mentis hominibus impetebatur, prosequi enitebautur. Inter hos eminet praestans ordo militaris beatæ Mariæ Virginis a Mercede, utpote ille, qui parentem nactus est Petrum Nolasco, cui eadem Virgo suæ intemeratæ conceptionis defensionem sedulo commisit. Hac de causa Petrus, suique vestibus undique candidis, puritatem illius conceptionis exprimentibus, sese cooperuerunt. Hinc sanctus ejusdem ordinis Paschasius doctor egregius ipsam Virginem, omni labe in conceptu vacuam, tutari Parisiis, et verbo, et scriptis oppido doctis, frustra adversariis clamantibus, non est veritus. Itaque antiqui hujus purissimæ conceptionis marianæ defensores plurimi, quot quot fuere, vere fidei mentem, et sensum assequebantur, ut perbelle elucet nunc, quando a romano pontifice Pio IX, universa ecclesia plausu pleno annuente, ipsam purissimam Virginis conceptionem in divina revelatione contineri, ideoque de fide esse, definitum, atque conclamatum fuit. Magnus ad hæc nostra tempora rei prægrandis eventus; unde novum rerum ordinem in ecclesia nasciturum, pro certo habeo.

Tandem heic resonent verba definitionis prædictæ, a Pio IX publice ex cathedra prolata. *Esse dogma fidei, quod beatissima Virgo Maria in primo instanti suæ conceptionis, per singulare privilegium, et gratiam Dei, virtute meritorum Jesu Christi, salvatoris humani generis, fuerit præservata immunis ab omni macula culpæ originalis.* Roma sententiam dixit? Ergo causa ad gloriam omnipotentis Dei, et sanctissimæ Virginis Mariæ, in oblectamentum cœli, et terræ, atque in tenebricosarum sectarum confusionem finita est.

SANCTUS ANTONIUS ABBAS

Antonius monachorum abbas in Ægypto prope Heracleam natus anno CCLI, mortalitatem lætus, quippe qui divinæ beatitudini inhiabat, exuit XVII januarii fere ad annum CCCLVI. Celeberrimus inter cœnobitas, anacoritasque sanctus, ita ut summi ecclesiæ patres, qualis Athanasius, Hjeronimus, Joannes Chrysostomus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, cæterique de præclaris illius actis libros, ac præconia edere non dubitaverint. Quin imo utraque ecclesia græca, et latina divo huic, fero ab ejus morte, publicos tribuere apotheoseos honores, ad hæc nostra tempora sedulo studuit. At ne primoribus labiis hujus sancti præstantissimam celebritatem attigisse videamur, excerpere hic juvat de illo aliquid ex divo Augustino in ipsius confessionum libro. « Quodam igitur die . . ecce domum venit ad me, et Alipium Potitianus quidam, civis noster; . . christianus quippe, et fidelis erat, et sæpe . . posternebatur in

ecclesia crebris, et diuturnis orationibus . . Ortus est sermo, ipso narrante, de Antonio ægyptio monacho, cujus nomen excellenter clarebat; . . nos autem usque in illam horam latebat. Quod ille ubi comperit, immoratus est in eo sermone, insinuans tantum virum ignorantibus, et admirans eamdem nostram ignorantiam. Stupebamus autem audientes tam recenti memoria, et prope nostris temporibus testatissima mirabilia . . in fide recta, et catholica ecclesia. Omnes mirabamur et nos, quia tam magna erant, et ille quia inaudita nobis erant. » *(lib. VIII. cap. VI.)* At ex eodem Augustino paulo inferius patet: duo imperatoris aulicos, eum admirabilem Antonii vitam casu in quodam rurali cœnobitarum domicilio perlegerent, ita prægrandi Antonii exemplo abreptos ad rerum caducarum contemptum, cœlestiumque desiderium animos suos persentivisse, ut illic sæculi officiis nuntium remittere, ac Christo Domino sese penitus mancipare decreverint. *(Ibid.)* Et re quidem vera hoc magnum bonum vitæ sanctorum gignere consuevere, tum ob in illis evangelii vim, quæ homines summopere acuit, tum etiam ob gratiam quamdam, quam eorumdem sanctorum gestis, dictisque Deus, ad alliciendas in meliorem frugem animas, contulisse videtur. Oh! si hujusmodi libellos diurna, ac nocturna manu versare in deliciis esset, compertum unicuique liquido foret, quantum vere hujus mundi species, ad modicum parens, esset præ victoria sui, et æterna vita contemnenda, quantumque mundo veluti cæci impexi, a veritatis via, nostroque vero bono, eum mors ingruit, deflectimus, quando nos tantum ad æterna, in Dei fruitione, a divina bonitate conditi sumus? Sed ad Antonium redire fas est, illumque ordini constantiniano ligamine quodam vinctum ostendimus. Neminem latet, ait italice, quod nos latinum reddimus, Joannes Petrus Maffei in hujus sancti vita, Constantinum Magnum, ejusdemque Constantem, et Constantium filios dedisse viro sancto epistolas, quibus, ut ad eos salutationes, ac monita redderet, postulabant. Ast Antonius veritus, ne tam magna sui ab principibus elatioribus æstimatione, sua inficeretur demissio, neque imperatoriss epistolas accipere, neque illis hilum respondere decrevisset; ni ejus monachi ab hoc consilio, urbanitatis charitatisque ergo, illum amoverent. Suis igitur humilis sanctus obtemperans, respondit Constantino, Constanti, et Constantio, illos de fide, quam profitebantur, concelebrans, hortansque, ut terrenas opes flocci haberent, futurum judicium animo revolverent, Christum sibi ipsis maximum regem præponerent, benignitatisque, pauperum, et justitiæ memores viverent. Ast cum nemo sanctimoniæ, cœlitus informatæ, suffragari non possit, principes illi de Antonii litteris maxime sunt gravisi, easque in precio multum habuere. *(Vite Confes. Christi Vit. s. Anton. abb. cap. XXII.)* Hinc factum est, quod ordo constantinianus, Constantini hujus ordinis conditoris insidens vestigiis, hunc sanctum veluti patronum peculiari honore, et precibus prosecutus sit. Alio nunc glutine ordo iste Antonio adhæret; nam cum titulo etiam divi Antonii alter militaris ordo extaret, cui cura committeba-

Digitized by Google

tur. miseros in xenodochiis juvandi, teterrima quadam carnis combustione, ignem sacrum vocabant, exustos, eodem ordine a Pio VI extincto, Ferdinandus III, in mandatis dedit, ut quæ erant antoniniana bona in utriusque Siciliæ regno cum constantinianis in unum, eidem Regi Magno Magistro obnoxia, coalescerent. Ex hoc evenit magnum, atque oppido pecuniosum xenodochium antoninianum Neapoli, et parvum xenodochium Drepani, aliudque mediocre Panormi, in quo nunc veluti in regio promptuario, vulgo dogana, res venales ab alienigenis oris traductæ asservantur, constantinianæ dominationi procubuisse.

IN INVENTIONE SANCTÆ CRUCIS

De hoc festo juvat in antecessum, ut patrio scriptori fiat satis, excribere aliqua, quæ in sua brevi explanatione liturgica chronologica Onuphrius Judica nostor litteris mandavit. « Cum Helena Constantini imperatoris mater dominicam crucem anno CCCXXVI die III maji inveuisset, Hjerosolymis magnificentissimam ecclesiam extruxit, in qua partem inventæ crucis thecis argenteis inclusam, populo adorandam collocavit; partem vero Constantino filio Romam detulit, quae ab eo in ecclesia s. crucis ad Hjerusalem Romæ in ædibus sessorianis, ubi hodie cisterciensium cœnobium ædificatum, reposita fuit. Apud orientem festum inventæ crucis statim post extructam ab Helena ecclesiam, feria VI in parasceve, qua die lignum crucis dominicæ populo ostendebatur, cœpit celebrari; sed deinde sub initium saeculi VII die XIV septembris, una cum festo exaltationis ejusdem. Apud occidentem solemnitas inventæ crucis primum Romæ, ævo ipsius Constantini die III maji quotannis celebrata est; postea non longe ab ævo ipsius inventionis ad Gallias, Hispanias, aliasque orbis provincias extensa, tandem pontificiis sanctionibus in universali ecclesia peragi mandatur. Recolitur hac die III maji inventæ crucis festum in sacramentario s. Gelasii, s. Gregorii, in martyrologiis s. Hieronimi, Bedæ, Adonis, Rabani, Usuardi, Nokteri, et aliorum. » *(lib. IV. c. V. § III.)* Sanctæ Domini nostri crucis inventio, ait Bossuetius, non sine numinis arcano consilio tunc evenit, quando, Constantino primum christiano imperatore, universus orbis Christo adhaere habuit, ut intelligeret christianum cruci, hoc est malarum cupiditatum penitus refrenationi, suam debere subjicere cervicem. *(Sermon. t. I. Serm. I. de circoncis.)* Inventio isthæc omnibus certitudinis numeris absoluta in veteribus historicis nempe Rufino, Sulpitio, Theodoreto, Sozomeno nec non in plurimis ecclesiae patribus se prodit. Hisce alia de hac cruce Christi ex dictionario Calmet addenda. « Longitudinem crucis quindecim pedum definiunt, latitudinem vero laterum septem, vel octo .. Sunt, qui credant pedes Christi suppedaneo cuidam, cruci addito, fuisse affixos, quod a S. Gregorio turonensi traditum, et in pluribus crucifixi imaginibus expres-

Digitized by Google

sum esse constat. Verum, ut alii animadvertunt, hujus suppedanei nullum apud veteres authores vestigium superest. » (*Ad verb. crux.*) Crux Christi per universum orbem in frustula partita cultum latriae, utpote illa quae divinum pondus, ejusque sanguine delibuta, sustulit, sibi vindicat. Signum olim infamiæ, nunc, ut ait Augustinus, « a locis suppliciorum fecit transitum ad frontem imperatorum » *(in psal. 36.)* Quare canit ecclesia: « o crux splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior universis. » Crucis nostri Redemptoris adoratio in ecclesia Hjerosolimitana primum in usu venit, cum ipsa crucem ipsam statim ab ejus inventione feria sexta, quam dicunt in parasceve, populo, ut illi venerabundus sese prosterneret, ostendere palam cæpisset. Quin imo imagini crucis, in majoris hebdomadæ triduo postremo, honor est genuflexo tribuendus; de quo etiam alia Judicao præfati verba sunt in praesto. « Hoc triduo omnes transeuntes ante crucem altaris majoris, etiam canonici ecclesiæ cathedralis, genuflexione eam adorent .. Exorditur ejusmodi genuflexio ab altarium denudatione, quæ fit post missam feriæ quintae in cœna Domini.. Idipsum firmat praxis omnium ecclesiarum .. Cum enim ejusmodi peculiaris adoratio cruci exibeatur ad specialem illum splendorem, qui ei accessit, quando Christus Dominus in eadem pependit, tunc ei illa debetur, quando agitur functio Christi crucifixionem repræsentans. » *(Brevis explan. ut supra lib. III. cap. V. § V.)*

DE EXALTATIONE SANCTÆ CRUCIS

Constantino magno romani imperii clavum gubernante, crux Christi primum triumphali pompa coelitus elata est; quod evenit, quando eidem imperatori Romam, ut Maxentium tyrannum debellaret, profecturo, copiisque suis crux magis ac auro rutilans supra solem apparuit, circumdata caracteribus nitentioribus, admonentibus: « in hoc signo vinces. » Et revera vicit Constantinus, qui grati animi in significationem, et memoriam jussit, vexillum in pallii formam adornari, erigens in ejus vertice crucem, subterque in ipso pallio Christi nominis monogramma; quod quinquaginta suorum praestantioribus militibus custodiendum tradidit, labarum appellatum. De his supra verba fecimus. *(Ad pag. 30.)* Ex hoc ordinis Constantiniani exordium, qui per sæcula late patuit honoribus, ac privilegiis maximopere refertum, donec ab Isaacio Comneno græco imperatore, sæculo decimo secundo ad finem vergente, in sacram regularem militiam translatum fuit, perpolitumque. At Constantinus ipse tantum æstimavit crucem labaro erectam, cujus ope victor continenter prosiluit, ut eam non modo vestibus, armis, ac coronæ suæ, verum etiam dextero brachio intextam voluerit. Altera Servatoris crucis exaltatio Heraclio imperatore anno 628 accidit. Is crucis etiam apparitione mu-

Digitized by Google

nitus, insignem victoriam contra Persas obtinuit, crucemque ipsam Domini, imperatoriis vestibus depositis, atque vulgari amictu, ut Christum referret, coopertus, suis humeris, manibusque in Calvarii loco solemniter reposuit. Quare a Constantini ævo exaltatæ crucis festum in utramque græcam, et latinam ecclesiam a patribus invectum, ut liquet ex pontificum Gelasii, et Gregorii sacramentariis, indeque post Heraclium illustrius haberi cœpit, atque ubique propagari. At crucis sanctæ exaltatio cur in moribus nostris non usuvenit, cum in hoc magis ejus crucis gloria præstat, ut christiani, et potissimum sacerdotes eidem penitus confossi, ad Christum probe repræesentandum, vivant? Si ætas nostra ab hoc maxime abhorret, impiarum doctrinarum, carnis vesana oblectamenta spirantium offendiculo impulsa, eo vel magis, qui Christo cupiunt adhærescere, ejusque amore, et præmiis frui, debent, ad illas odio habendas, ac retundendas, Christum ipsum crucifixum undequaque induere.

SANCTUS BASILIUS MAGNUS

Basilius Cæsareæ in Cappadocia parentibus sanctimonia præclaris natus est anno CCCXVIII. Eusebio Cæsariensi episcopo, e vivis erepto, suffectus, magna omnium gratulatione, quia apprime doctus, et sanctus. Juvenis cum mores suos cœnobitica vita perpolisset, pater monacorum per orientem universum evasit; scripta ab eo regula, suavitatem, et prudentiam olente. Bellum in haereticos triumphale continenter gessit, sese pro domo Dei ignitam columnam erigens. Universo catholico orbi cognitus, ejusdemque laudibus concelebratus, magnus merito audiebat. Obiit die 1 januarii anno CCCLXXIX. Sanctorum ad honores post mortem illico elatus; nam pro funere corpus ejus publicæ venerationi expositum fuit, sanctumque laudibus, votisque homines cujuscumque conditionis circumfusi prosecuti sunt. Quin imo ad amorem illi probandum fere omnes, quæ illius fuere dicta, facta, ac ipsas gesticulationes imitari tunc studio contendebant. Illud vero mirandum magnopere est, sanctum Ephrem diaconum, qui fama sanctitatis Basilii permotus, ad perfectiorem frugem ab eodem hauriendam, Cæsaream venerat, sese non continuisse Spiritu Sancto afflatum, ut Basilium, quorum ipso et multo stipante populo in ecclesia, præclarissimis laudibus extolleret; quibus acquiescere, licet reluctans, tandem sanctus episcopus in Dei gloriam, cui id tribuit, necesse habuit. Ejus regula apprime ab ecclesiae suffragio concelebrata, ab aliquibus militaribus ordinibus usurpata est. Tales fuere in primis ordo noster constantinianus, tunc quando religiosus esse cœpit, aliique hujusmodi ordines, nempe sanctorum Cosmæ et Damiani, sanctæ Catherinæ, beatæ Mariæ Virginis a lilio, et velleris aurei in Hispania, atque etiam in Germania, cæterique. Ergo vere magnus Basilius, quia inter sanctos praestantissimus, quia pontificum examplar, et quia pater non mona-

chorum modo, sed etiam militum sacrorum, qui certe ab illius regula non solum probitatem, verum etiam vim, animumque ad præliandа prælia Domini sibi vindicare potes erant. Verum non magnus, nisi ipsemet minimus esse in omni re sua pro Christo satagisset. Minimus quando charitate homines cujuscumque generis complectebatur, minimus quando injuriis, ærumnisque lacessitus vincebat, juxta apostolum, in bono malum, minimus in corporis sui maceratione, ita ut tantum pelle, ossibusque constare videretur. minimus in sui plena demissione, minimus tandem in sui cogitationibus, et sermone; unde merito magnus in cœlo, et in ecclesia omne in ævum. Audi igitur quisquis es sacerdos: magnus esse vis? a minimo incipe; sit Augustinus. Hoc solo adnisu cœlestis magnitudo, quæ vera magnitudo est, et non humana futilis ac fucata, acquiritur. Magnus utique Basilius, constantiniani ordinis nostri protiosa margarita, a quo ordo iste etiam protectionis, vitæque radios perbelle aucupari gloriatur. *(Vid. Henrion. histor. eccles. t. 1. et 2.)*

SANCTA MACRINA VIRGO

Macrinam sanctus Gregorius Nissenus frater ad sidera laudibus evexit, ea ratione ac, is Basilium comunem eorum fratrem oratione extulerat. Tantorum virorum soror, ac sanctorum parentum filia, in christiana palæstra progressa est, ut ipsa quoque celebris inter sanctimonia præstantes virgines sancta evaserit, uni Deo, ac sui domandi studio applicita. Quare gynæceo extructo, ut alias fœminas ad calentes divina charitate mores efformaret, adnisa est. Hac in laudabili exercitatione, Deo, hominibusque accepta, morte prævента est; cui adstantem, ac solatorem fratrem Gregorium episcopum habuit. In defunctæ funus christiano more, et turbis, innocuæ vitæ Macrinæ plaudentibus, curavit, illamque in beatorum parentum sepulcro inter clericorum, monacorumque hymnos, condidit. Nata erat anno circiter CCCXV, atque e vivis erepta, cœlo inserenda circa initium decembris, anno CCCLXXIX. Signis, et prodigiis post lethum micans nituit; quorum ope ecclesia græca cultu illam statim rependere sancivit; ac ejus festivitatis meminere typicus sancti Sabæ abbatis, mænologium Basilii imperatoris, meneæ chiffletii, mænologium Sirleti, et novum antologion anno MDLXXXXVIII Romæ excusum. Apud nostrates in occidente sacri honores Macrinæ tributi tantum sæculi decimi sexti ad medietatem; cum paulo post Gregorius XIII eam romano martyrologio adnecti jusserit. Sancta monialis ista abhorruit maxime ab neniis, nugis, crepundiis, et garrulitatibus, ab queis nihiloseciиs moniales, spiritu Dei vacuæ, oblectari excutiunt. Deus bone! paternas domus, sæcularia comoda, et libertatem relinquere quid præstat, quando in claustro uni Deo, malarum cupiditatum coercitioni, animæ, annisque æternis vacare piget? Mulieres sæculares esse desinivere, quin veræ moniales effi-

Digitized by Google

cerentur. Certe magis magisque illarum confessarii, si omnes in Domino apprime saperent; eas ad vocationis suæ officium revocare, et continere optume possent. Sit nobis præ oculis unice Deus, humanis, rebusque futilibus quibuscumque, et muneribus, quae sunt Diaboli laquea, posthabitis, et tunc omnia ministerii nostri sarta, et tecta in proximorum, ac monialium bonum, et in Dei ejusdem gloriam adamussim vertent; ni animarum nobis commissarum districtam nostro damno rationem reddere cogamur. Sancta Macrina nunc mater existimatur etiam mulierum religiosarum ordini constantiniano adscriptarum; nam sicut vir constantinianus Basilium, ita virgo constantiniana Macrinam sequuntur. Unde inclytus ordo iste utriusque patrocinio, et magnitudine congaudet, accrescit, extollitur.

SANCTUS GEORGIUS MARTYR

Georgius oppido nobilis natale solum Cappadociam sortitus est. Sub Diocletiano militari in cingulo stipendia meruit, propositi, justitiæ, et maxime religionis tenax. Hinc egerrime ferens, christicolas insontes ad cædes omni genere asperrimas a Diocletiano damnari, ipsum accersivit, de tanta immanitate objurgans. Quare truditur in carcerem, exquisitioribusque tormentis dehinc dilaniatur, et capite obtruncato, ex civili milite fit per martyrium ovans Christi Domini perpetuus testis. Tanta sanctitate floruit, tantum famæ vir, tantumque ejus passio percelebris, ut confestim tum in orientalibus, tum in occiduis oris cultu prægrandi sanctorum martyrum fuerit assequus. Plura in universo orbe illi templa dicata, multaque prece postulatus a quovis homine, et potissimum a regibus, qui ejus opem in præliis facile persensere. Hinc factum est, quod sacrae religiosae militiae, ut illum ad exemplum in dimicando pro Christo sibi proponerent, illoque patrono munirentur, ejus nomini inscribi certaverint. Et plures efflorent in ecclesia hujusmodi militiae a sancto Georgio nuncupatae; quas inter eminet nostra constantiniana, quae ante alias prima, utpote a saeculo IV graeca, hujus sancti in Graecia percelebris nomen mutuata est. In res magnas ergo isthaec militia a magno equite martyre portendit; quae ante retro saecula pro ecclesia Dei et maxime pro romana Petri sede praestitit, et praestat. Ad hoc quippe, atque ad omnigenam virtutem nomina sanctorum impellere nos debent, nam quid juvat magno nomine sancti insigniri, si mores ab ejus vita, in fide compta et perpurgata, deflectunt? Neque ille e cœlo nobis adesset, et nomen ejus in dedecus potius desidiae nostrae cedere necesse esset.

Digitized by Google

CONCLUSIO

Sed jam tempus est opellæ nostræ carbasa perstringere, cum animus nunc fuit hujus constantiniani æquoris paucos sinus tantum ad ripam, pro quodam experimento, in presentiarum perlustrare. Dehinc si Deus annuet, et vitæ, laboribusque nostris pro constantiniano ordine non exiguis idem ordo, antiquæ generositatis frugi, et justitiæ assertor melius providebit, nos in universam, integramque hujus rei tractationem cymbam nostram provehere congaudebimus. Quare in littore dum modo consistimus, heic decet, ut nos a labore qualicumque feriati, sermonem convertamus

AD OPTIMUM DOMINUM INQUISITOREM NOSTRUM, MAGNÆ CRUCIS CONSTANTINIANÆ EQUITEM TORQUATUM, DOMUS REGIÆ MAJESTATIS CLAVIGERUM, VIRUM ATAVIS PRINCIPIBUS PERVETUSTIS EDITUM, ANTONINUM DE SPUCHES, DUCEM CACCABENSEM.

Eja dux, et princeps præstantissime, opella isthæc tota debetur tibi, qui eam, ejusque ideas mihi persuadere, atque ingerere, eamque ære tuo excudere festinasti. Id a tuo eximio in ordinem constantinianum studio partum; etenim tu in Sicilia ordinis istius historiam, religionem, decus, et jura labore plurimo, tua etiam impensa pecunia, meque pro tua humanitate vigiliarum tuarum socio, sive disciputo adscito, primus, atque unus e tenebris in lucem micantiorem eduxisti. Quare per te crux constantiniana non tantum equestre decoramentum, sed loquax signum, et calcar sacræ militaris nobilissimæ societatis rutilat in pectoribus. Quis neget, absitque verbo invidia, te de hoc ordine optume meritum? Verum quid de laude plurima, qua in tuo munere inquisitoris extolleris? Cum tibi bene innotescat, quæ statuta ordinis, et Ferdinandi III. Magni Magistri præscriptum inquisitoribus in clericos, sive præpositos, sive subditos constantinianos adtribuant, id missum facere, pro Dei, et Regis nostri Magni Magistri gloria, eligioni tibi duxisti. Unde te adnitente templorum, et personarum, illis inservientium, nitor, decus, emolumentum. Hæc omnia sunt in propatulo, et ne assentari videar, sermoni modum pono; rogans Deum optimum maximun, ut is qui cœptis adlabitur, et justus omnino est, bonam tibi mentem adaugeat, teque ipsum numine suo, bonisque æternis ubertim remunerari dignetur.

Digitized by Google

SUMMARIUM

Digitized by Google

Ut evenit, quacumque adhibita diligentia, irrepserunt paucula, heic corrigenda.

Ad pag. 10.	lin. 6.	Regolamento per lo servizio interno della Real commenda della Magione in Palermo ec. . . .	Regolamento per lo servizio interno della chiesa della Santissima Trinità della Real commenda costantiniana della Magione in Palermo ec.
13.	24.	Nympae	Nymphae
19.	16.	MDCCCLXXXVI	MDCCLXXXVI.
28.	7.	donaots	donatos
»	13.	ponticalibus	pontificalibus

650931

Digitized by Google